3

LIBELLI ARISTOTELIS
DE SENSV ET SENSILIBVS

Castigata versio & Analysis Logica.

Cum Quæstionibus & Disputationibus inde desumtis.

STVDIO

RODOLPHI GOCLENII
Professoris Philosophici in Acad. Marpurg.

Cum gratia & priuileg. Cæsar. Maiest.

15  9



FRANCOFVRTI
Apud M. Zachariam Palthenium.



Recognita & caſtigata lectio Curęi ad noſtram editionem accommodata. Prior numerus paginam, poſterior lineam denotat.

*Lege pag.*1.*l.*26 σύνοψιν 4.9 *poſt doctrinam, ſuppl Ethicam.*6.20. κλίσαντ☉.13.17 *amarorem.*16.26. *pro nec lege aut*, 18.4 & 5. *volunt.* 24. 23. *dele verba deſinit in ſpeciem.*27.34. *reconditarũ* 32. 25. *Iſte eſt radius.*45.23 χρόα. *ead pag* 38. *inæquales ſunt* 51.15. *emittit.* 52.5. *ecce ead.*30. *illuſtrat* 54.36. *Idem igitur.* 61.25. *habitui.*65.29. *calor* 67.9. *pro divino diurno.* 72.3. *pro Homerum leg. Herodotum* 73. 6. *pro cum cui* 74 17. *pro coruſcus cœruleus.*76.36. *affectionis* 78.27. *poſt animalis ſupple qui* 83.9. *pro veri aeri.* 91.20. *reniſus* 94.2. *vehit. ead. pag. lin. vlt. dele prius comma.* 98.20. *pro immobilem leg. quieſcentem.* 99. *vlt. lin pro ratio oratio* 102.18 *pro maioris, interioris* 104. 4. *deducimur. ead. pag.* 22. *cupita. eadem item pag.*32. *obtrudit.* 105.19. *diurnis.* 109.11. *tardo & lento* 114. *lin. vlt. pro minus nimis.* 118.19. *pro quaſi eadem* 120.10 *pro cum. eum.*139 *lin. vlt. pro. viuo. vuido vel viuido.*142. *lin.*2. *pro ea illi.*162.18. *Valeriola.*164. 15. *pro ingente vigente* 175.3. *pro puncto pone comma.* 181.29. *Ptolemæo.* 183. 11. *inæquali mole* 195. 12. *pro elemento alimento.* 207. 25. *pro Ignis Agens.* 212. 18. *tactui.* 218. 12. *pro maledice leg. male dici.*



DOCTRINA ET VIRTVTE PRÆSTANTI viro M. Zachariæ Palthenio, Typographo Francofurtensi.

RODOLPHVS GOCLENIVS S. D.



Erſpicuo & minime mõſtroſo orationis charactere expoſuit doctrinã Phyſicã de ſenſu & ſenſilibus, vere pius & eruditus vir Ioachimus Curæus. Sed in editione voluntati auctoris non fuit factum ſatis. Valde enim vitioſe libellus eſt excuſus. Itaque vnum ex editis exẽplis ſua ipſe manu caſtigauit, quod mecum communicauit Ioannes Ferinarius Hiſtoriarum Profeſſor, Pædagogii noſtri Rector, collegæ mihi coniunctiſſimus. Ad eius fidem emendatũ optauit de integro prodire libellum iſtum. Cum itaque Doctiſſime M. Paltheni intelligam, te pro induſtria tua, & ſtudio iuuandi rem literariam, in eo nunc totũ eſſe, vt operas tuas huic optimo auctoris operi iterum excudendo accommodes, emendationem iſtam ad te mitto, vt ẽam extremæ pagellæ adiicias. Erit tibi hoc argumento me, quibuſcunque rebus poſſum, ſtudioſe tibi gratificaturum. Si placet, vt προσθήκης μέρος addere, po-

tes ipſum contextum Ariſtotelis e Græco fideliter expreſſum, hoc eſt ad Græcæ λέξεως veritatem, & ſimplicē τȣ̃ ῥητȣ̃ διάνοιαν in latinum ſermonem cōuerſum, & Analyſin eius Logicam cum aliquot huius argumenti quæſtionibus, & quæ minus intricatæ mihi videbantur, (miſſis reiectisque iis, de quibus cum ſapientibus dicere ſoleo: Aſſenſus ante rem perſpectam ſuſtinendus non eſt) & quarū conſideratio liberalem habet delectationem. Te cum omnibus tuis, quam feliciſſime viuere & optime valere ex animo cupio, & Deum oro, vt honeſtiſſimos tuos labores fortunet. Tu viciſſim eundem pro me ora, vt literatum otium, quo nihil eſt dulcius, mihi diutius concedat. Marpurgi Calend. Iulii, Anno 95.



ARISTOTELIS DE SENSV ET SENSILIBVS, libri caput primum,

RODOLPHO GOCLENIO INTERPRETE.

QVIBVS DE REBVS DEINceps sit tractandum summatim proponit, ac quæ sint corporis & animi communia docet.



Voniã † de animo per se ante explicatũ est, ac de facultatibus vniuscuiusq; eius partiũ sigillatim: sequitur, vt quænã animantium eorumque omnium, quæ vitæ beneficio vtũtur, propriæ sint actiones, quæ communes, cõsideremus. Ac ea quidem posita sint, quæ de animo diximus. De † ceteris autem, ac primum de primis disseramus. Constat quidem ea, quæ ma-

ximum pondus habent, communiaque sunt & propria animantium, communia animi esse ac corporis: quo in genere est sensus, memoria, ira, appetitus, & vno nomine cupiditas, & præterea voluptas ac dolor. Hæc enim fere in omnibus animalibus reperiuntur. Præterea horum quædam omnibus viuentibus communia sunt, quædam animantibus quibusdam conueniunt. Horum † autem ea, quæ maximũ pondus habent, cæterisque præstant, quatuor tantum paribus continentur, vt vigilia & somnus, adolescentia & senectus, spiratio & exspiratio,
d vita & mors, quæ † quid sint ac quibus ex causis eueniant, videndum est. Physici etiam est valetudinis ac morbi primas causas animaduertere, præsertim cum nec valetudo nec morbus, in ea, quæ vita careant, cadere possit. Itaque fere ii omnes, qui in naturæ ratione versantur, & medici qui magis philosophice artem tractant, illi quidem (physici) desi-

desinunt in ea, quæ ad medicinam pertinent, hi vero (medici) ex iis quæ naturam attingunt principiũ ducentes, de medicina disputare solẽt. Ea † aũt quæ dicta sũnt, cõmunia *e* & animi esse & corporis, hinc sciri potest, quod eorum quædam cum sensu, quædã per sensum fiunt, quædam etiam eius affectiones sunt, alia habitus, nonnulla custodiæ atque conseruationes, aliqua interitus & priuationes. Sensum autẽ per corpus ab anima fieri, tum ratione doceri potest, tum sine ratione intelligi. Sed de sensu & sentiendi officio ac munere, & quam ob causam animantibus hæc affectio conueniat, in libris de animo diximus. Animantibus † autem, quatenus vnum *f* quodque animal est, sensus necessario inest. Hoc enim ipso animalis naturã a non animali distinguimus. Ac † de his quidem vt sigillatim *g* differamus, tactus & gustatus in omnia cadunt necessario, tactus quidem propter eam causam, quam in

libris de anima diximus, gustatus
vero propter cibum & alimentum.
Hic enim sensus salutarem cibum a
pestifero ita secernit, vt insuauem &
ingratum fugiat, salutarem gratum-
que appetat, omninoque sapor eius
est partis animi affectio, quæ alendi
b vim habet. Ii † autem sensus, qui a re-
bus extrinsecus adhibitis oriuntur,
vt odoratus, vt auditus, vt aspectus,
iis animantib. quæ gradiuntur, & o-
mnibus, quę iis quidē p̄dita sint, cō-
seruationis salutisq; causa dati sunt,
vt & præsentiendo pastū quęrant, &
exitiosum pestiferumq; declinent.
Iis autem quæ etiam prudentia præ-
dita sunt, sensus eosdē natura attri-
buit; ornatus dignitatisque causa,
quippe cū multas dissimilitudines
intro nuntient, quibus tum eorum
quæ sub intelligentiam cadunt, tum
eorum quæ agenda sunt, scientiam
i prudentiamque adipiscuntur. Ex †
iis autem ad ea, quæ necessaria sunt
percipienda, aspectus quidem per se
plus pōt, ad intelligendū vero audi-
tus

tus plus poteſt per accidēs, quia multas ac varias rerum differētias oſtēdit nuntiatque viſionis facultas, propterea quod omnia corpora colorata ſint. Itaque † hoc ipſo ſenſu k ea quæ ſunt omnium communia, percipiuntur maxime. Communia † autem appello, vt figuram, magni- l tudinem, motum, ſtatum, numerū. Auditus vero ſonorum diſſimilitudines ſolum declarat, paucis autem etiam vocis & orationis. Auditus † m autem per accidens ad diſciplinam (ſeu prudentiam ſeu intelligētiam) maximū adfert adiumentum. Oratio enim & ſermo doctrinæ cauſa eſt, cum audiatur non per ſe ſed per accidens: ex nominibus enim conſtat, quorum vnumquodque eſt ſignum. Itaque † ex iis, qui alterutro n horum ſenſuum a primo ortu priuati ſunt, aptiores ſunt ad diſcēdum cœci, quam ii qui muti & ſurdi ſunt. Ac de vi quidem, quę cuique ſenſui data eſt, ante dictum eſt.

Analysis Logica Cap. I.

a Quoniam de animo] *Propositio tractationis per perfectam transitionem. Hactenus post generalia de corporis natura (in octo libris ἀκροάσεων, physic.) de anima & eius facultatibus, quatenus ab anima proficiscuntur, disseruimus. Sequitur tractatio de communibus affectionibus, quæ animantibus insunt ratione animæ & corporis: (fiunt enim ab anima, sed non sine instrumento corporeo) nempe de sensu, memoria, somno, vigiliis, motu secundũ locũ, iuuentute, senectute, respiratione, vita, morte.*

b De cæteris autem,] *Diuisio: cum ratione, cur primum sit acturus de sensu & sensilibus. Ordo doctrinæ postulat, vt de primis disseratur primo loco. Sensus est ex primis: quia propter sensum animal est animal. Ergo primum disserendum de sensu.*

c Horum autem ea,] *Diuisionis illustratio, qua cõparantur impariter affectiones illæ inter se. Longe maioris momenti sunt vigilia & somnus, adolescentia & senectus, spiratio & exspiratio, vita & mors, quam ira, appetitus, voluptas, & dolor.*

d Quæ quid sint] *Repetitio propositionis cũ appendice, quod cũ hic de πάθεσι certis viuentiũ & animaliũ agatur, par sit, vt sanitatis quoq; & morborum principia vera & prima cõprehendantur. Nã sanitas & morbus sunt affectiones viuentium, cum nihil dicatur sanum aut morbo affectum, nisi quod vita præditum est*

e Ea.

Ea autem quæ] *Probatio. Ira, voluptas, dolor, memoria, somnus, respiratio, sanitas, vita, mors &c. aut iuncta sunt cum sensu, aut per sensum fiunt, aut sunt eius πάθη, aut habitus, aut custodiæ, & cõseruationes, aut interitus & priuationes: & ita aliquo modo respiciunt sensum. Ergo sunt cõmunia animi & corporis. Valet consecutio. Quia & sensus est πάθος cõmune corporis & animæ, quod vel sine ratione doceri potest. Quis enim ignorat corpus absq; anima, id est cadauer nihil sentire? anima vero secreta a corpore non sentit, sed tãtum intelligit.*

f Animantibus aũt,] *Sensus pertinẽt ad esse animalis. Animal per sensum est animal, vt enũtiatũ καθόλου πρῶτον sit, Animal sentit: sicut in 2. de anima dicitur τὸ δὲ ζῶον διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως.*

g Ac de his quidem] *Distinctio sensuum ex generaliore & specialiore subiecto, in quo insũt, finibus & effectis. Quidam sensus animantibus insunt necessario, vt tactus & gustus. Nam per tactum distinguũtur obiecta externa, quæ vel corrumpere possunt corpus vel idem conseruare, vt illa fugiant, hæc persequantur: per gustũ etiã distinguuntur alimenta conuenientia a noxiis. Alii sensus non sunt omnibus dati: quibus autẽ insunt, iis insunt propter melius. Id est hoc fine vt animal non solum sit & viuat sed etiam vt bene viuat. Porro homini sensus dati sunt etiã, vt cognoscendo & intelligendo præstantiorem vitam viueret, hoc est scientiæ seu sapientiæ, & prudentiæ causa. Hic quidem visus per se: Au-*

ditus vero per accidens plus adiumenti affert.

h Ii autem sensus] *Hic latet distinctio sensuum ex comparatione adiuncti medii. Tactus & gustus ad tangendum & gustandum non indigent externo medio, visus vero, auditus, odoratus indigent. Per aërem species visibiles ad oculos, audibiles ad aures, odorabiles ad nares, sed tactiles & gustatiles species* ἀμέσως *(id est, absq; medio externo) ad ipsam cutim & linguã deferuntur.*

i Ex iis autem] *Ratio comparationis. Color est proprium sensile seu obiectum visus. Omnia autẽ corpora sunt colorata. Ergo visus de omnibus corporibus percipit aliquid per se, & ita multas patefacit differentias*

k Itaq; hoc ipso] *Visu omnia obiecta communia percipiuntur: Sed a cæteris sensibus quadam tantum percipiuntur. Sensus igitur visionis est præcipuus & acerrimus.*

l Cõmunia autem] *Communiũ obiectorum sensus declaratio exemplaris.*

m Auditus autem per] *Ratio, cur auditus sit causa per accidens vberioris cognitionis: quia per accidens orationẽ, qua de multis erudimur, percipit. Nã auditus per se percipit voces, quatenus sono proferuntur. Oratio autẽ constat ex vocibus. Accidit igitur orationi, vt ab auditu etiam percipiatur propter voces.*

n Itaq; ex iis] *Probatio antegressæ sententiæ: Quia cæci possunt adminiculo vocis & auditus ab aliis loquentibus discere. Surdi vero, cum non*

non audiant, cum voces non percipiant, ab aliis doceri non possunt, muti etiam alios interrogare nequeunt. de iis quæ ignorant. Ita vero natura comparatum est vt res per symbola quidem, id est, nomina apprehendantur quæ cum nullo sensu a surdis apprehendi possint, etiam rerum cognitione destituti sunt. Nã intellectui nostro non sunt ingeneratæ rerum notitiæ sed eæ sunt ἐπίκτητοι, id est, acquiruntur & discuntur. Eadem fere causa est cur pleriq; surdi sint quoq; muti.

DE SENSVVM INSTRVmentis ac potissimum, quę sit aspectus vis, oculique materia.

CAPVT II.

Corporis †autẽ partes, quibus a nasci & exsistere sensus soleant; nonnulli quidem pro elementorum, ex quibus corpora cõstant ratione exquirunt, & cũ non possũt ad quatuor illas sedes sensus, qui quinq; sunt, adhibere, de quinto hærent. Faciunt autem omnes aspectum vim naturamque igneam imitari, quod causam alicuiusdam affectionis ignorent. Cum enim

torquetur ac mouetur oculus,tum ignis species elucere ac prodire videtur, quod in tenebris vel cũ palpebræ obductæ sunt, solet cõtingere: tum enim etiam in tenebris est. Quod etiam aliam dubitationem affert. Si enim fieri nõ potest, vt quispiam ignoret se sentire, ac videre id, quod sub oculos ipsius cadat, necesse ergo erit eundem suum oculum
b cernere. Cur † igitur ei quiescenti idem non vsuuenit? Sed huius rei causa & quæstionis, & cur aspectus ignis esse videatur, hinc intelligẽda est. Solitæ enim sunt res leues in tenebris micare, non tamen lumen ex se profundũt: oculi autem nigrũ dictum & medium læue cõspicitur. Hoc vero appatet, cum oculus torquetur, propterea quod vnum quasi duo esse accidat, quod quidẽ motus celeritas efficit, vt aliud videatur esse id quod cernit, & quod cernitur. Itaque non fit illud, nisi cito & in tenebris id eueniat, propterea, quod ea quæ læuia sunt, in tenebris mica-

micare solent, veluti piscium quorundam capita, & sepiæ atramentũ. Quod si lente oculus moueatur, nõ contingit, vt simul duo & vnum id quod cernit, quodque cernitur, esse videatur. Illo † autem modo se ipse *c* oculus cernit, quemadmodum etiã in refractiõe. Alioqui † si ignis esset, *d* quemadmodum & Empedocli placet, & in Timæo scriptum est, aspectúsque exeunte quasi ex lucerna lumine eueniret, cur etiam in tenebris oculi non cernerent? Nam † a- *e* spectũ exstingui dicere in tenebris cum exit, id quod Timæus confirmat, prorsus nihil est. Quæ enim luminis exstinctio est? Omne enim, quod calidum & siccum est, vel in humido vel frigido exstinguitur, qualis videtur esse ignis qui in prunis est & flamma, quorum neutrum lumini contingit. Quod † si forte *f* contingit, sed propter paruitatem id nos fugit, profecto & interdiu, & in aqua, exstingui lumen oporteret, & cum gelu omnia obrigescũt, ma-

xime tenebras exsistere. Flammæ enim hoc iisque naturis & corporibus quæ deflagrant, contingit. Nũc vero nihil tale vsuuenit. Empedocles † autem in ea sententia interdũ videtur esse, vt aspectum dicat, id quod ante dictũ est, lucis ex oculis emissione oriri. Scribit enim hoc modo:

b *Vt † cũ quis meditatur iter noctem sub opacã.*
Præparat is lychnum, torrentis lumen & ignis:
Laternamq; aptat, quæ ventos arceat omnes,
Dissipat hæc flantis tum dura incommoda vẽti,
At lux exsiliens proprium diffusa per orbem:
Colluceetq; viæ, radiis pellitq; tenebras:
i *Haud † aliter tunicis clausus subtilib. ignis,*
Per pupillarem citius diffunditur orbem:
Ingentem hæ prohibẽt circũlabentis aquæ vim.
Ignis at excurrit, quantum se fundere possit.

Atque hoc quidẽ modo nos interdum sentit cernere. Interdum autẽ iis fluxionibus, quæ proficiscantur a corporibus quæ videtur. Democritus vero quod aquæ naturã aspectũ imitari dicit, recte sentit: quod autẽ aspectum emphasin ipsam, hoc est, imaginis, veluti apparitionem esse

ait

ait, non recte. Hoc enim contingit propterea, quod oculus læuis est, nec in eo, quod cernitur, inest, sed in eo quod cernit. Refractio enim est illa affectio. Sed nihil omnino etiam nota ei erant ea, quæ de rebus speciem sui præbentibus & de refractione vere traduntur. Absurdũ est ei etiam non venisse in mentem quærere, cur oculus tantum cernat, aliarum autem rerum nulla, in quibus imagines exprimantur. Ac † illud quidem verum est, aspectũ aquæ naturam imitari, sed tamen nõ cernimus, quia aqua est, sed quia perlucidus est oculus, quod etiam cũ aere commune habet, sed facilius & diuturnius aqua quam aer seruari & retineri potest. Itaque pupilla & oculus naturam aquæ imitantur. Quod † etiã res ipsa declarat. Nam & quod defluit ex oculis, cum sauciati sunt, aqua plane videtur, & in iis qui admodum pueri infantesque sunt, splendore ac fulgore præstãt: & albugo oculorũ † in iis quidem

animantibus, quæ sanguinem habẽt
n pinguis est: quod † eo a natura effectum est vt humor ipse cõcretionis expers permaneat, ob eamque causam pars est nulla corporis, quæ tardius ac minus quam oculus frigoris incommoda sentiat. Neque enim adhuc ea pars, quam palpebræ obducunt, frigore obriguit. Eorũ autem animantium, quæ sanguine carent, oculi corio duro tecti sunt, idq;
o pro operculo valloque est. Sed † hoc plane absurdum est, quod aiunt nõnulli aspectum emissa ex se quadam natura cernere, permanareque vsque ad astra: aut ad aliquem vsque terminum egrediendo cum aliena luce coniungi atq; confundi, vt qui-
p busdam visum est. Hoc † enim præstat dicere ipsum lumen initio cum oculo coniungi, quamquam hoc etiam stultum est putare. Quid est enim lumen cum lumine coniungi? aut qui tandem hoc fieri potest? Neque enim quævis res cũ quauis coniungitur: & res quæ intus est, cũ exter-

terna quo tandem modo? cũ membrana interiecta sit Nos † quidem aliis libris hoc docuimus, aspectũ rei nullius sine luce vllo modo posse existere. Sed siue lumẽ siue aera inter rẽ q̃ cernitur & oculũ interiectũ ponamus, profecto motus is qui ꝑ illud medium fit, facit vt cernamus. Nec vero sine causa id quod interius est, aquæ naturã imitatur. Aqua † enim perlucida est, cerniturq; quẽadmodum extrinsecus, sic intus non sine lumine. Aliquid igitur oportet esse quod sit perlucidum, idque aqua sit necesse est, cum non sit aer. Neque enim in extremo oculo animus situs est, nec animæ sensorium, neque vero dubium est, quin intra nos, sit. Itaque interior pars oculi & perlucida sit & vim eã habeat, vt lumen recipiat, necesse est. Idq; † perspici licet ex iis, quæ vsuueniũt. Iam enim nonnullis qui in bello eiusmodi circa tempora vulnus acceperũt, vt viæ & itinera oculorũ excisa sint, tenebræ offundi visæ sunt, quasi lucerna

exstincta, ꝙ parte ea, quę perlucida
y est, & pupilla excisa quasi splendor
quidē adētus esse videretur. Ex † q.
bus perspicuū est, si in his rebus, hoc
vt dicimus cōtingit, quodlibet sensoriū attribuendū, & accōmodandū
esse vni elemento, hoc modo, vt oculi visionem, aquæ, id quo sonorū
varietates ꝑcipimus, aeris, odoratū
ignis naturam imitari statuamus.
Quale enim actu odor est, talis odoratus est potētia. Sensibile enim facit vt sensus operetur, ita vt necesse
sit sensum iam esse id actu, quod antea erat potentia. Odor autē quædā
est fumum imitans exhalatio. Atqui
exhalatio, quæ fumi specie efflatur,
igneæ naturæ est. Itaq; in loco, qui
cerebro vicinus est, odoratus sensorium situm est. Frigidi enim materi-
z es est potentia calida: & † oculorū origo eodē modo se habet, quippe cū
ex cerebro constet, quod humore &
frigore reliquas corporis partes fa-
x cile vincit. Ea † autem pars, in qua
tangendi principatus inest, terrena
est,

est, ea vero qua gustamus, quædam species tactus est; ob eamq; causam vterque & tangẽdi & gustandi sensus cordi adiunctus & annexus est. Est † enim cor cerebro contrarium, 7 caloreque cæteras partes longe ac multum superat. Ac de iis quidem corporis partibus, in quibus sentiẽdi est fons & principium, ita dictũ sit.

Analysis Logica Cap. 2

a Corporis autem partes] *Proponitur disputatio de natura organorum sensus, quæ græcis sunt αἰσθητήρια. Anima enim sentit instrumento corporeo. Et primum quidem explicatur de natura & materia oculorum Proposit. Nõnulli organa sensuum ita exquirunt vt vnicuiq; elemento vnũ ascribãt. Videbimus igitur quomodo sensus cũ elementis cõiunxerũt singulis, & quã recte visum cũ igne, auditũ cũ aere, gustũ cũ aqua, tactum cũ terra, olfactũ, in quo difficultatẽ sentiũt, cum vapore inter aquã & aerẽ medio. Ac primũ quidẽ pleriq; ante nos visum statuũt esse natura igneã quia decipiũtur quadã affectione, quæ solet accidere circa visum, cuius verã causam ignorant.* Affectionis expositio. *Cum enim comprimitur & constringitur oculus: tũ apparet ignis scintillãs, seu emicãs fulgor igneus. Hinc alia oritur dubitatio.*

Si enim fieri non potest, vt sentientem & cernentẽ aliquid, quod aspicitur, hoc ipsum lateat, necesse sane erit eundem suum oculum, qui existimatur a dominatu igneæ naturæ exsistere, cernere. Cur igitur oculo quiescenti non moto aut presso vsuuenit, vt cernat ignem illum: cum quiescentis non minus quam distorti natura sit ignea: & oculus quietus tantundem possit cernere, & melius quidem quã loco motus & contortus. Hãc dubitationem veteres illi debuerãt secum expendere & soluere, ne sententia eorum de ignea oculorum natura suspectæ veritatis videretur. Decipiebantur autem antiqui, hoc paralogismo. Ignis micat & oculus cõtortus micat. Ergo ipse quoq; igneus est. Sunt puræ affirmatæ in secunda figura. Etsi ignis micat & fulget, non tamen omnia micantia sunt ignis.

b Cur igitur ei] *Quæritur cur non etiam quietus oculus micet, vt motus loco, si ignis naturam habet? Ignis siquidem tam in quiete quã in motu micat. Responsio Aristotelis affert verã causam reiecta falsa. Micat oculus percussus vel distortus non quia ignem, sed quia leuitatẽ habet in media sui parte. Leuia enim corpora in tenebris micant: quia partes æqualiter porrectas habent, quarũ vna aliam non inuoluit tenebris. Quando autem oculus est contortus, est vere in tenebris. Palpebræ enim arcent lucem exteriorẽ diei. Contortus seu motus vero solum, non quietus oculus hoc ipsum patitur: quia non totus ille humor qui pupillæ subiacet (crystallinũ intellige*

redit ad suũ locũ simul, sed vna pars citius, altera tardius, vel vna parte cõmota altera quieta manet. Ea igitur quæ est quieta vel quæ in loco proprio recursu suo iam est, cernit alterius partis motæ fulgorem vt ita vnus humor habeat rationem duorum videntis nimirum & visi.

c Illo autem modo] *Illustratio a simili, vt in aqua limpida vel speculo cernimus nostros oculos: quia refringitur species in polita superficie speculi. Sic in parte humoris crystallini loco mota cernitur species oculi seu fulgoris eius.*

d Alioqui si ignis esset,] *Amplificatio antithetica: qua ostenditur absurditas sentẽtiæ quod aspectus sit ignis, & ex oculis cum quippiam videtur egrediatur ignis. Hinc scilicet sequeretur, in tenebris etiam nos videre: quia ignis natura est, vt etiam tenebras illustret & species visibilium actu reddat visibiles.*

e Nam aspectum exstingui] *Prolepsis. Sed regerent, ignem noctis tempore ex oculis emissum, exstingui quod cum vicino aere non concrescat qui ignem non habet. Resp. Hoc est* κενόν, *id est. vanum. An enim exstinctio propriè luminis est? Soletne lumen tenebris exstingui. Nonne tenebræ sunt priuatio lucis & non habent agentem* ἐναντιότητα; *Lumen propriè non exstingui probatur. Quia lumen si exstinguitur, vel in humido, vel in frigido exstinguatur (vt ignis) necesse est. Sed non hoc. Ergo nec illud. Vnde etiã apparet lumen non esse igneæ naturá.*

f Quod si forte] *Alia prolepsis. Hic forte*

respondebunt. Contingit quidẽ lumen exstingui humido vel frigido, sed quia sensim & paulatim fit, quod causæ exstinguentes hic non sint validissimæ, neq; ignis maximus visionis, quæ noctu fit, ideo non animaduertitur a nobis talis exstinctio. Respõ. per deductionem ad absurdũ. Age ergo ponamus, lumen maximum diei, & gelu seu frigus maximum, nonne tum maximã exstinctionẽ luminis (id est tenebras maximas) sequi necesse foret quæ neminem latere possit? Hoc vero absurdũ esse docet experientia. Nulla ergo est allata excusatio: & vana est responsio, ideo in tenebris nos non videre, quod ignis ex oculo exiens noctu a tenebris exstinguatur.

g Empedocles autẽ in ea] *Proponitur sententia Empedoclis. Empedocles sensit visum esse igneæ naturæ & visionem fieri duplici modo: Interdum emissione lucis ex oculis: Interdũ defluxionibus quæ fiant a corporibus quæ videntur.*

h Vt cum quis) *Protasis comparationis.*

i Haud aliter tunicis) *Apodosis.*

k Democritus vero quod) *Diuiditur sententia Democriti. Recte sentit Democritus oculũ esse aqueæ naturæ. Nõ recte sentit, visum esse* ἔμφασιν, *id est, repræsentationem seu exhibitionẽ simulacri in oculo.* 1. *Quod enim talis sit repræsentatio imaginũ in oculo, qualis in speculo, id inde est quod non oculus ipse percipit illam* ἔμφασιν *in sese, sed alius qui in alterius oculos intuetur. Quare videri nõ potest esse ipsa* ἔμφασις *id est*

id est, non propterea fit visio quod in oculis leuibus est imaginum apparitio: Ratio est. Quia πάθος *illud* ἐμφάσεως *fit per modum refractionis. Redit igitur quasi perceptio imaginis ex oculo polito ac fulgido ad eum, qui e regione est constitutus. Quomodo ergo poterit esse ipsum videre? 2. Si propterea videt oculus, quia in eo possunt exprimi species obiectorũ etiam videbit aqua, vitrum, speculum, argentum aut ferrum politum. Sed hoc absurdum, Ergo & illud.*

l Ac illud quidem verum, est) *Prolepsis. Visus est aqueæ natura, Ergo videmus: quia aqua est. Resp: Visus quidem factus est aqueus. Colores enim seu species aspectabiles non percipiuntur absq; pellucido medio aere, & pellucido instrumẽto, quod necesse fuit ex aqua formari, quia aqua facilius recipit, retinetq; firmius & diutius species perceptas impressasue quã aer, vt qui sit nimium tenuis & instabilis substantia, non habens luciditatem sic terminatam, neq; figuntur neq; resultant in eo species tam commode, quam in aquæ spissiore substantia. Nec tamen oculus propterea visionem exercet, quia in mistione plus aquæ habet: alioqui quidquid habet naturam aquæ, etiam videret.*

m Quod etiam res ipsa] *Antecedentis approbatio a tribus signis adiunctis.*

n Quod eo a natura] ἀπορία. *Si humidum oculi est natura aqueæ: sequetur illud frigore concrescere. Humidi enim est concrescere & coagulari.*

Respõsio seu λύσις ἀπορίας. Sane concresceret humidũ oculi, nisi cõtra hoc periculũ esset adeptus oculus a natura præsidia: in sanguineis quidem pinguedinẽ: in exsanguib. animãtibus duritiẽ.

o Sed hoc plane absurdum est, *) Refutatio absurditatis sententiæ quorundam veterum,* DE MODO VISIONIS *hoc: quod aliquid egrediatur ex oculis, & id cum protensum est, vel ad res usq; visas, vel ad certũ saltem quoddam spatium ibidem cum occursante lumine coniungatur, coalescat, & permisceatur & q. imbuatur colore seu specie ac similitudine rerũ atq; ita demũ res obiectæ visu percipiantur.*

p Hoc enim præstat *) Proposita sentẽtia impariter comparatur cum alia. Longe probabilius diceretur lumen externũ coniungi statim initio circa oculum vel in oculo antequam foras procurreret quãquã neq; hoc ipsum recte dicitur, sed εὐηθες est. Absurdum igitur dicere, lumen ex oculis exire & cum externo lumine occurrente συμφύεσθαι concrescere. Et hoc primum refutationis argumentũ est. Alterum sumitur e repugnante natura luminis & causa impediente coniunctionis tale. Quæ iunguntur & coalescunt, tãgunt se. Non autem tangunt se nisi corpora, ut quæ partes habeãt & extremitates. Lumen autem corpus non est. Nec lumen internũ oculi lumen externũ tangere potest: Inter humorẽ enim crystallinũ & lumen externum membrana dura, quæ dicitur cornea, tegens pupillam interiecta est quæ impetit eorum*

mu-

mutuum contactum & coalitum. Ergo improprie dicitur lumen συμφύσαι, id est, coniungi, & concrescere.

q Nos quidem aliis) *Adhuc fuit ἀναίρεσις (remotio) falsæ sententiæ. Non fit visio cõmixtione externi luminis cũ externo: Sequitur θέσις vera. Visio ita fit ut species visibiles moueant & afficiant medium & a medio vicissim moueatur visus, dum scilicet species ex medio illi offeruntur & communicantur.*

r Aqua enim perlucida est.) *Repetitur ratio ex adiunctis sumta, cur instrumentũ vidẽdi potius aqueum quam aerium factum sit.*

s Idq; perspici licet) *Organũ oculi esse pellucidũ seu esse ea natura, ut recipiat lumen esse δεκτικὸν τοῦ φωτός, exemplis experientia probatur.*

t Ex quibus perspicuum est) *Reditus ad propositionem. Quodlibet sensorium attribuẽdum est uni Elemento. Probatio ab una sensus specie: Sensus vel orgãum tale est δυνάμει quale est obiectum actu. Sed obiectum odoratus actu calidũ & siccum est, id est, ignea natura. Odor enim consistit in exhalatione calida & sicca Ergo orgãum etiam odoratus, δυνάμει calidum est atq; siccum, atq; hac potentia in actum deducitur, quando actu ab odore mouetur, afficitur, immutatur.*

u Et oculorum origo) *Oculorum generatio est ex aquea materia. Aqua frigida est & humida ut & cerebrum. Sunt igitur apte collocati oculi iuxta cerebrum, propter istam similitudi-*

nem cum ex ipso maxime aquoso oculi sint procreati.

x Ea autem pars] *Tactus proportione respõdet terræ: quia fundatur in organo crassiore, corpulentiore & magis terreo.*

y Est enim cor cerebro) *Ratio: Cur sensus gustandi & tangendi sint propiores cordi, seu sint collocati in loco calido qualis circa cor est. Quia cor cerebro est oppositum ratione & situs & qualitatis: hoc quidem fine, vt cerebri frigiditatem & humiditatẽ temperaret, & vicissim ab illo nimius caloris feruor mitigaretur.*

DE COLORE, SIMVLque vnumquemque sensum dupliciter dici ostendit.

CAPVT III.

De iis † autẽ quæ vniuscuiusque mouẽtia sunt, vt de colore, sono, odore, sapore, & eo quod sub tactum cadit, vniuerse quidem in libris de animo diximus, quodque esset eorum munus & officium, quid etiam esset fungi vniuscuiusque sensus munere. Quid autem quiduis eorum sit, veluti quid color, quid sonus, quid odor, aut sapor

por, & quod tactile est, vidēdum est. Ac primum de colore dicamus. Eorum † quidem vnumquodque duobus modis dicitur, & actu, & potentia, ex quibus color & sonus qui actu sunt, quomodo a sensu actu sentiente, veluti a visione & auditione differant, † aut non differant in libris de animo dictum est. Quid † autem vnumquodque eorum sit, cum sensum mouere, & sentiendi energiam producere possunt, nunc explicemus. Diximus † quidem illis in libris lumen esse colorem rei pellucidæ, per accidens. Quādo † enim in pellucido inest aliq̃d igneū, id præsentia quidem eius luminis est, priuatio autē tenebræ. Quod autē p ellucidū dicimus, id nec aeris proprium, nec aquæ est, nec aliorū corporū, quæ ita vocātur, sed communis est quædā natura & vis, quæ tametsi separari nō potest, tamen & cum his & cum aliis corporib. ita cōiuncta est, vt in nonnullis maior, in aliis minor eius vis esse videatur. V t † igitur corpo-

b
c
d
e
f
g

rum, sic etiam huius naturæ aliquid sit extremum oportet. A luminis
h quidem natura est, in † pellucido interminato. Quod vero illius perspicui in corporibus sit aliquid extre-
i mum, cuiuis est manifestum. Idq; † extremum esse colorem ex iis, quæ accidunt obseruare clare licet: cum color omnis aut in extremo insit aut sit extremitas. Itaque Pythagoræi superficiem colorem vocabant. Est
k † enim in corporis extremitate, non ipsa corporis extremitas, sed eam naturam, quæ extrinsecus colorata est, etiam intra esse existimare de-
l bemus. Atque etiã † aer & aqua colore prædita videntur, propterea quod splendor sit eiusmodi: sed illic
m quia † color est in interminato, nõ
n eodem † colore tincta cominus & accedentibus, quo eminus, aer & mare videntur. In corporibus autẽ,
o nisi † id quod circumfusum est, varietatẽ mutationemque faciat, co-
p loris etiam species certa est, nec variatur. Ex † quo perspicuum est, idẽ

&

& hic & illic coloris esse receptaculũ. Ita † pellucidũ quatenus corporibus inest (inest autem & magis & minus) facit vt omnia colorem participent. Quoniam autem in extremitate color inesse solet, certe in huius (scilicet perspicui) extremo insit necesse est. Ergo color erit pellucidi in corpore terminato extremitas. In ipsis etiam rebus pellucidis vt in aqua, & si quid aliud est eiusdẽ generis, & in iis, quæ colorẽ proprium habere videntur, æque omnib. in extremo adhærescit. Fit autẽ † vt in pellucido id insit, quod etiã in aere lumen pͤstat: fit etiã, vt non insit, sed per priuationem absit. Vt igitur illic hoc quidẽ lumen est: hoc vero tenebræ: Ita in corporibus candor & nigror ingenerantur. De aliis † autem coloribus, iam distinctione adhibita, quot modis fieri possint, dicendum est. Fieri enim potest, vt etiam inter se ita candor & nigror cõponãtur, vt neuter propter paruitatem sub aspectum cadat,

t is † autem, qui ex vtroque temperatus concretusque sit, ita denique cernatur. Is.n. neque albus neque niger esse vllo modo potest. Quoniã autem eũ necesse est in colore aliquo esse, illorũ vero colorũ neutrũ habere potest, profecto aliquis mixtus ac temperatus, & quoddã aliud coloris genus sit necesse est. Atque hoc quidem modo plurima esse colorum genera præter album
u & nigrum intelligi licet, quæ † ex
α ratione quadam & comparatione exsistant. Nam tria ad duo, & tria ad quatuor (vel secũdum alios numeros) iuxta se inuicẽ componi possunt. Illa vero plane secundũ nullã
β proportionẽ, sed † secundum quãdam exsuperationẽ & defectionẽ, ex quibus nulla oriatur concinna proportio. Atque hæc quidem eodem modo inter se affecta sunt quo
x symphoniæ. Nam † vt quisq; color constat optima ratione numerorũ, quemadmodum illic symphoniæ, ita suauitate & delectatione maxi-

ma aspectũ mouere videtur: veluti purpureus & puniceus, & pauci quidem eius generis sunt, quam ob causam perpaucæ sunt symphoniæ. Reliqui autem colores in numeris eius generis non habẽtur: vel certe omnes colores in numeris habebuntur: vt alii ordinati: alii inordinati sint: atque hi ipsi, cum non sint puri, quod non in numeris sint, tales exsistant. Atque † hic quidem vnus modus est originis colorum. Alter autem est ob eã causam, quod alii per alios appareant, id quod interdum pictores faciunt, cum aliũ colorem in euidentiorem iniiciunt & inducunt, veluti cum faciunt vt aliquid in aqua vel in aere emineat atq; appareat: & veluti sol quidẽ per se candidus est, per caliginem autẽ & fumum puniceus. Atque etiam hoc modo multa erunt colorum genera, non aliter ac superiore ratione esse, diximus. Cõparatio enim ac proportio quædã erit colorũ in superficie ad eos, qui inferius sunt.

Alii autē nulla ratione constabunt.
z Illud † igitur absurdum est, dicere id quod veteres, colores esse fluxiones, eosque ob eam causam videri.
a Necesse † enim erit eis per tactum rerum omnium sensum facere. Ita
b † fit vt melius sit ita existimare, sensum fieri ob eam causam, quod medium ab obiecto sensili moueatur,
c quam tactu & fluxionibus. Ac † in iis quidem quæ proxime inter se apposita sunt, necesse est quemadmodum magnitudinem concedere quæ aspectum fugiat, sic etiam tempus quod sub sensum nō cadat, vt & motus, qui suboriuntur lateāt, & vnum, quod simul appareāt, esse
d videātur. Hic † autē nō est necesse sed color qui eminet, cū sit immobilis moueaturque ab eo qui subiectus est, non similem motum efficiet. Itaq; alius videtur atq; diuersus, nec albus nec niger. Ita si nulla magnitudo sensum oculorum effugere potest, sed omnis ex certo interuallo cernitur, quænam hæc erit co-

colorum permixtio? Atq; isto † modo nihil prohibet commune quoddam coloris genus iis qui procul absint, videri. Nullam enim magnitudinem esse, quæ non cerni possit, postvidebimus. Quod si est tẽperatio & pmixtio quædam corporum, non eo solum modo, quem nõnulli fingunt, cũ minima inter se illa quidem componuntur, non tamẽ a nobis sensu videntur: sed plane omni ex parte confundantur corpora, quemadmodum vniuerse de omnibus in libro in quo de permixtione, disputauimus, dictum est. Nam illo quidem modo ea solum inter se miscentur, quæ in minima diuidi possunt, vt sunt homines, equi & semina (hominum enim in genere vnus homo est minimus, & equorum equus) fit, vt horum inter se appositione vtrorumque multitudo misceatur. Vnum autem hominem, cum vno equo mixtum esse non dicimus. Quæcunq; autem in minimum non diuiduntur, eorum hoc

modo permixtio fieri non poteſt, ſed horum plane omni ex parte miſceri cõtingit ea, quæ quidẽ maxime apta nata ſunt miſceri. Quod quemadmodũ maxime fieri queat, antea cum de permixtione diſſereremus, diximus. Sed † illud perſpicuũ eſt, cur neceſſe ſit, cum aliqua miſcẽtur, colores etiam temperari atque cõfundi: & hãc ipſam cauſam præcipuam eſſe perſpicuũ eſt, cur multi ſint colores, non vero ipſam eminẽtiã nec iuxtapoſitionẽ. Non enim vere mixtorum, eminus quidem vnus apparet color, & non cominus, ſed ex omni interuallo. Multi autẽ colores erunt, propterea quod ea quæ miſcentur multis rationibus inter ſe ita miſceri temperariq; poſſunt, & nonnulla quidẽ innumeris miſcẽtur, alia vero ſecũdũ exceſſum ſolũ, aliaq; ſane eo modo, qui de coloribus, inuicem appoſitis, aut ſuperpoſitis, afferri poteſt. Ac de iis quidẽ quæ inter ſe miſcentur, in aliisquoq; libris diſputatũ eſt.

Cur

C

saporũ & sonorũ certa sint gẽera, nõ infinita post dicemus. Quid † ergo θ color sit, & cur multa sint colorum genera diximus. De sono etiã & voce ante in libris de animo dictũ est.

Analysis Logica CAP. 3.

a De iis autem quæ] ἀπόδειξις *eorum quæ de obiectis singulorum sensuum alibi tractata sunt, cum propositione dicendorum.*

b Eorum quidẽ vnumquodque] *Distinctio vocis in sua significata. Color actu est vel potentia: Color actu est, qui afficit visum & cernitur. Sonus actu qui percellit auditum: Color potentia qui nondum cernitur: Sonus potentia cũ non auditur, cum sonorum non sonat.*

c Differant aut non differant] *Quando & sonus & auditus actu est, tunc vnum & idẽ sunt. vna enim est eorũ operatio re ipsa, quãquã ratione est diuersa, vt sonus auditus actu, ex parte potẽtiæ est passio, ex parte obiecti est actio: reipsa tamẽ idem sunt* ἄκουσις *&* ψόφησις.

d Quid autem vnumquodq;) πρώτως. *Quomodo se habere oporteat quodlibet* αἰσθητὸν *vt mouere possit sensum suum, explicabimus.*

e Diximus quidẽ illis] *Sententia est. Præsente lumine color est actu visibilis. Lumen iũctum cum colore afficit visum, & color nõ afficit visum absq; medio illuminato. Indiget igi-*

tur color lumine, non vt forma, sed vt dispositione necessaria in medio.

f Quando enim in pellucido] *Pellucidum quomodo conueniat corporibus: nempe non secundum propriam naturam (nulli enim propria est pelluciditas, aqua nō est pellucida, quia aqua) sed secundum communem quandam naturam: quæ causa est illius qualitatis. Ea natura, adhuc ignota est & ἀνώνυμος.*

g Vt igitur corporum sic] *Pelluciditas, seu communis potius illa natura, inest quibusdam corporibus. Corpora autem omnia sunt superficie quadam terminata. Ergo ipsa quoq; pelluciditas terminata sit necesse est.*

h Pellucido interminato] *Id est, in corporib. quæ simpliciter sunt perspicua & trāsparētia.*

i Idque extremum esse colorem) *Definitæ rei nomen ostendit, quod est color. Hic est respectu corporis, in quo inest, vt superficies, in ipsa corporis extremitate. Respectu autem pellucidi, quod terminat, est ipsa extremitas. Color est in extremitate corporis, ita vt extremitas sit subiectum coloris. Color est extremitas ita vt extremitas sit genus coloris. Color enim est id quod terminat pellucidum visibile.*

k Est enim in corporis] *Color nō hæret in sola superficie, sed etiā internas partes peruadit. Non est igitur simpliciter corporis extremitas.*

l Atq; etiam aer] *Explicatur causa cur aqua & aer, quæ tamen sunt pellucida interminata, proindeq; colorē nullū per se visui exhibentia, aliquādo videantur*

tur: nēpe quia incidētia fulgoris alicuius affert φαντασίαν καὶ δόκησιν alicuius coloris, vt cū noctu ignis circa aquā collucet, aut rubor auroræ vel solis oriētis in aerem & aquas incidit, fit vt mare purpureū videatur. Præterea propinquitas ac distātia præbet causam apparentiæ istiusmodi colorum.

m Color est in intermınato] *Id est, in aere & aqua quæ nō habēt in se extremū perspicuitatis. Bruno Sidelius mauult sic legere.* Sed illic quia in intermınato versatur visio nostra

n non eodē colore) *Indicatur hic duplex colorū ratio. Alii sunt reales, veri, definiti, stabiles, siue prope siue procul eos aliquis inspiciat. Alii sunt apparētes, & phātasiā coloris præbentes, ꝑpter incidentiā splēdoris & luminis alicuius, vt cum quis intuetur vitrum, in quod solis radius incidat, variam aliquando colorū cōpositionē cernere videtur, qui tamē in vitri natura nō sunt, sed ex varia inflexione, refractione mixtiōeq; luminis, cū opaco, repræsentātur,*

o nisi id quod) *Exceptio: aer pellucidus & illustratus lumine efficit mutationem coloris in corporibus.*

p Ex quo perspicuum) *Cōsectariū hoc est. Docetur verorum & apparentium colorū idētitas, ratione subiecti* ἀδήλου. *Hoc vtrisq; idē est, scilicet extremū perspicui. Tam termināt perspicuū visui nostro falsi colores, quā veri.*

q Ita pellucidum] *Consectaria alia præcedentium, causa & definitio coloris.*

r fit autem, vt) *Hactenus de colore generatim, quid sit, vbi sit, quando actu cernitur, & a qua causa fiat actu conspicuus. Sequitur di-*

stinctio colorũ. & modus quo generentur. Initium autem huius doctrinæ est, a comparatione similiũ: Sicut luminis externi præsentia in perspicuis terminatis efficit luciditatem, absentia autem tenebras. Ita in perspicuis interminatis ad lucem internam prævalentẽ sequitur color albus, ad eius priuationem color niger

ʃ De aliis autem) *Colores aut simplices sunt, duo extremi aduersi inter se: Albus & niger: Aut sunt mixti seu medii orti a primis, vt fuscus, viridis &c. Hi duobus modis fiunt veteribus, vnus per appositionem atomorum albi & nigri (quorum neuter cerni potest per se, ob exilitatem vel paruitatem, coniunctus vero cum alio cernitur) varia proportione factam.*

u is autem) *Descriptiũcula medii coloris qui ex albo & nigro resultat cũ ratione a disparatis.*

α Ratione quadam] *multa vero proportione.*

u Quæ ex ratione) *Illustratio analogica. Eadem est ratio circa colores, quæ est circa symphonias, id est, vocum consonantias.*

β Secundum quandam] *Secundum excessum quendam & defectum non proportionatum.*

x Nam vt quisque color) *Explicatio comparationis. Colores enim in numeris bene proportionatis quemadmodum illic symphoniæ suauissimi colorum esse videntur.*

y Atque hic quidẽ) *Transit a primo modo originis colorum ad secundum, quod fiant quãdo vnus color est super alterum illitus, quorum superior non mouet visum, sed vi & motu inferi-*

ferioris substrati tãtũ oculos attingit. Illustratur hic modus duobus similibus. Alterũ a pictoribus, alterum a sole petitum est.

z Illud igitur absurdum est) *Repetit primũ modum a veterib. positum de colorum origine inter quos præcipuus Empedocles.*

a Necesse enim erit,] *Confutatiuncula huius Empedocleæ sententiæ ab absurdo. Si iste modus esset verus, ex eo sequeretur quod omnis sensio optica esset tactus. At hæc esset confusio sensuum inter se & obiectorum.*

b Ita fit vt melius] *Quæ tactu percipiuntur per se absq; externo medio percipiuntur. Si ergo color quoq; afficit visum seu oculum incurrẽdo, & tangendo, multo melius hanc suã opinionẽ veteres defendere potuissent communi ratione tactilium qualitatũ, si scilicet dixissent colores esse qualitates tactiles quam illis absurdis figmentis defluuii ex corporibus visis.*

c At in iis quidem] *Altera confutatio eiusdem modi etiam ab absurdo quod sit ἄλογον.*

d Hic autem non est] *Comparatio secundi modi cum primo dissimili, secundus modus est fieri colores & cerni, quando vnus color alteri superinducitur. In hac opinione non statuitur illud absurdum quod prior inerat, vt quilibet color inferior & superior moueat visum per se, sed vis mouendi tribuitur inferiori soli.*

e Atque isto modo] *Reditus ad confutationẽ prioris opinionis.*

z Sed illud est perspicuũ] *Adhuc fuit con-*

futatio falsæ opinionis duplicis. Sequitur Aristotelis sententia de causis colorum pluriũ siue mediorum. Non fiunt hi per iuxtapositionem, nec per suprapositionem seu eminentiam sed per verã mixtionẽ. Cũ miscẽtur elemẽta, mixtorũ colores etiã ipsi miscentur & inde oriũtur varia colorum differentia. mixtis enim causis miscentur etiam effectus. Itaq; causa primariũ qualitatum miscentur etiam aliæ qualitates, vt colores, non ita, vt albedo & nigredo sola sint principia colorum mediorum, sed in mixtione corporum vna sequitur permixtio extremorum colorum quædam, pro cuiusq; rei natura & qualitatum primarum viribus.

g Quid ergo color) *Conclusio qua propositũ repetitur. Estq; prima transitionis pars.*

DE ODORE ET SApore, eorum item origine & causis.

CAPVT IIII.



a Nunc sequitur, vt de† odore & sapore differamus. Eadẽ enim vtrũque fere affectio est, sed nõ in iisdem versatur. Euidentius† autem nobis est saporum genus, quam odorum, propterea quod

quod † & hic sensus nobis præ cæte- c
ris animantibus imbecillior datus
est, omniumq; eorũ, quib præditi
sumus, est infirmissimus: tactu vero
cætera animãtiũ genera vincimus,
& gustus est tactus quidã sapor. A-
qua igitur † natura insipida esse vult. d
Necesse vero est, vel aquam in se cõ-
tinere saporum genera insensibilia
propter paruitatẽ, vt Empedocles
docet, vel materiã talẽ inesse (aquæ)
quæ sit q. πανσπερμία saporũ, & cun-
cta quidẽ (saporum genera) ex aqua
fieri, aliud vero ex alia parte: vel a-
qua in se nullã differentiã habente,
efficiens esse causam variorũ sapo-
rum: veluti si quis calorem aut solẽ
horum caussam esse dicat. Quod
autem † Empedocles adfert, nimis e
manifestũ est commẽtũ. Sapores n.
a calore mutari cernimus, fructibus
deecerptis & soli vel igni expositis,
vt tales non fiant, trahẽdo ex aqua,
sed in ipso fructu mutentur, & resic-
centur spatio temporis, austeri ex
dulcibus, & amari, & qualescunque

alii qui fiunt: cõcoctique in omnia
saporũ genera vertantur, vt ita dica
f mus. Itemq; † fieri non potest, vt a-
qua sit materies q. cõmune saporũ
seminariũ. Ex eodẽ enim exempli
causa, cibo & pastu diuersos sapores
g effici videmus. Relinquitur † ergo,
aquã mutari patiendo aliquid ex eo
quod in aqua quædã affectio conse-
h quatur. Illud † vero perspicuum est
vim eã quã saporẽ appellamus, nõ a
vi tantum caloris accipere aquam.
Aqua enim cum omnium humido-
rum tenuissima est, tum oleum etiã
tenuitate vincit, sed oleum latius
diducitur quã aqua propter viscosi-
tatẽ, aqua vero ψαθυρόν ἐστι, vnde etiã
difficilius est aquã in manu quam
oleum continere. Quoniãq; aqua
sola, cum efferuescit, minime dẽsior
efficitur, ꝑfecto alia sit causa neces-
se est, sapores enim omnes crassam
magis habent consistentiam, calor
vero est συναίτιον id est, concaussa.
i Sapores † vero qui in fructibus re-
periuntur, iidem etiam in terra esse
appa-

apparent. Itaque multi eorum, qui de natura quondam disseruerunt, aquam † talem, qualis sit terra, per k quam effluat, esse posuerunt, idque in aquis salsis maxime animaduerti licet. Sal enim quoddā terræ genus est. Quocirca quæ per cinerē, qui amarus est funduntur, amarū efficiunt liquorē (vt lixiuium) vel saporē, itēq; ea quæ per alia colātur. Suntq; fontes alii amari nōnulli acidi. Sunt etiam qui alios vapores retinent & omnimodas saporum differentias alias continent. Itaque recte in iis quæ terra ex se fundit saporū genus exsistit maxime. Humidum enim † l vt etiam alia, à cōtrario patitur, siccum autem cōtrarium est, quare ab igne etiam patitur aliquid: sicca enim ignis natura est. Sed calor proprius est ignis, siccitas autē terræ, quemadmodum cum de elementis disputaremu s dictū est Quatenus igitur ignis & terra sunt, nihil agere aut pati solent, nec quicquam ali-

ud, sed quatenus in eis quædam cõtrarietas inest, eatenus & faciũt &
m patiuntur õnia. Vt† igitur ii qui colores & sapores aquis abluunt, tali colore ac sapore aquam inficiũt, sic natura etiã siccum & terrestre (aquis scilicet abluens, inficit eas eodẽ sapore). Et per siccum atque terrestre colans & impellẽs humidum calore (tanquam efficiente) qualitate quadam (sapore) illud afficit.
n Estque † sapor ea affectio, quæ a siccitate terrestri in humido gignitur, alterans gustum de potẽtia in actũ. Deducit† enim (sapor) sensitiuũ po-
o tẽtia præexistens ad hoc, vt scilicet actu secundo sentiat. Sentire enim non est tanquam discere, tanquam
p speculari. Sapores † autẽ non cuiusuis sicci, sed eius quod alendi vim habeat, affectionem esse aut priuationem, hinc intelligi licet, quod nec siccum sine humido, nec humidum sine siccitate cõstare vllo modo potest. Nihil enim eorum per se animantibus cibus est, sed quod ex

his permixtum concretumque est. Suntque eorum quæ ad animantium victum adhibentur, ea quidem quæ inter sensuum obiecta sunt tactilia, efficientes causæ & augmenti & decremẽti Horum † enim causa est id quod adhibetur, quatenus calidum est & frigidum. Hæc enim efficiunt & augmentum & decrementum. Alit autem id quod exhibetur (alimẽtũ) quatenus est gustabile, omnia enim nutriuntur dulci, vel simpliciter, vel alio admixto. Ac de iis quidem in libris de ortu disserendum erit accuratius, nunc vero quantum necesse est ea attingenda sunt. Calor † quidem auget conficitque cibum, atq; id quod leuitate præstat, ad se trahit & allicit. Id autẽ ꝙ salsum & amarũ est, propter grauitatẽ respuit. Quodq; corporib. externis calor qui extrinsec⁹ adhibetur, facit, idẽ in natura animãtiũ & eorũ quæ terra edũtur præstat. Itaq; dulci succo alũtur. Adhibentur † a. cæteri sapores eodẽ modo in alimẽtũ

q r s

quo salsus & acidus, vt sint veluti cō-
dimēta, quæ ipsa admiscentur pro-
pter repugnātiā, quod dulcedo præ-
ter modū alat, emineatq; in summo.
t Quemadmodum † autē colores ex
albi nigriq; tēperatione exsistūt, sic
ex dulci & amaro sapores. Ac sin-
guli quidem pro maioris & mino-
ris proportione nascuntur, siue se-
cundum numeros quosdam mixti-
onis, siue etiam indefinite. Qui autē
(sapores) mixti voluptatē afferunt,
hi in numeris tantum sunt. Ac pin-
guis quidē saporis dulcis est genus
quoddā. Salsus a. & amarus fere idē
sunt. Acer vero, austerus, acerbus, &
acidus his interiecti sunt. Fere enim
totidem sunt saporum genera quot
colorum. Septē enim genera vtra-
que ex parte cōstitui possunt, vt re-
cte fuscum nigrum quendam colo-
rem esse dicamus. Ita relinquitur
flauum albi genus esse, vt pinguē sa-
porem dulcedinis. Phœniceus au-
tem, purpureus, prasinus, & cœru-
leus medium locum inter albū ni-
grum-

grumque obtinent. Alii vero ex his mixti temperatique sunt. Atque vt nigror † in re perlucida candoris, sic u
salsus & amarus sapor dulcedinis in humido nutritiuo priuatio est. Itaque † eorum omniũ quæ exurũtur cinis amarulentus est, propterea x
quod ex eis euanuit id, quod potioni aptum erat. Democritus † vero y
iique omnes fere Physici qui de sensu disserũt, absurdissimũ quiddã faciunt. Omnia enim quæ sensus mouentia sunt, sub tactum cadere asseuerant. Quod si ita esset, profecto vnusquisq; alius sensus tactus quidã esset. Quod fieri non posse facile intelligi potest. Præterea iis omnibus quæ omnium sensuum communia sunt, vt propriis vtuntur. Magnitudo enim, figura, asperitas & læuitas, præterea quæ sunt acuta & retusa in magnitudinibus, ea sensuum sunt: si minus omnium, at certe tactus & aspectus communia. Itaque circa hæc quidem errant (sensus) circa propria vero nõ errãt vt aspe-

ctus circa colorem, & auditus circa
z sonos (nō fallitur) Hi † vero propria (sensuū obiecta) ad hæc cōmunia referūt, vt Democritus. Is enim cādorem & atrorem, hunc asperitatem, illum læuitatem esse dicit. Sapores etiam ad figuras refert. Atqui vel nullius sensus, vel certe aspectus est maxime communia internoscere. Quod si forte gustatus est potius,
a certe † ea quæ minima sunt in vnoquoque genere (communium obiectorum) internoscere ad exactissimum sensum pertinebit. Ita fit, vt gustatum oporteat, etiā alia cōmunia maxime sentire, & in aliis figuris (præter eas quæ fingūtur in saporib.) plurimum valere diiudicādo.
b Præterea † cum ea omnia, quæ sub sensum cadunt, inter se contraria sint, vt in colore candor nigrori contrarius est, & in saporib. dulcis amaro, tamē figura figuræ cōtraria non videtur. Cui enim earum figurarū, quæ multis āgulis constāt ea quæ rotunda est, cōtraria sit? Iam cū

figuratarum incertus infinitusq; sit numerus, † saporũ etiam infinitus sit *c* necesse est, quod sane fieri non potest. Cur enim aliquis sapor sensum afficiet, alius non afficiet? Ac de sapore, & re quæ gustatum mouet dictum sit. Aliæ enim saporum affectiones in ea parte physicæ, quæ de reb. quas terra fundit disputat, propriã habent disputationem.

Analysis Logica CAP. 4

a Nunc sequitur,) *Secunda pars transitionis qua proponit se deinceps de odore & sapore dicturum addito argumento a pari.*

b Euidentius autem est) *Comparat impariter sapores & odores.*

c Propterea quod & hic) *Ratio imparitatis quia homo imperfectiore nactus est odoratum quam alia animantia. Tactu vero his est superior & perfectior. Iam vero gustus est quidam tactus. Ergo gustatum etiam homo habet perfectiorem quam odoratum.*

d Aqua igitur insipida) *Disputatio qua primum probatur, non recte sentire eos qui putãt simplex humidum aqueum esse actu subiectum proprium saporis. Si sapor statuitur sequi naturã aquæ, non potest obtineri quod simpliciter oriatur ex aqua & ei insit simpliciter*

vt proprio subiecto, quia tantū abest vt verū hoc sit, vt ipsa etiam propria natura aquæ procul remota sit ab omni genere & excessu saporis quantoq; minus refert aliquid saporis, tanto habetur melior. Non dat igitur aqua quod non habet. Quare necesse est, vt vnum ex tribus his statuant, qui ita sentiunt: vel aquam &c

e Quod autem Empedocles,) *Confutatio primæ opinionis: Si sapores omnes continentur in aqua, necesse erit, vt decerpti ab arboribus fructus nō mutent sapores, cum aquā ex qua saporē nouum concipere poterant, attrahere iam desierint, neq; ex terra amplius alantur. Sed manifestum est, fructus multos decerptos mutare sapores, vt qui prius austeri nec satis maturi fuerunt, fiant deinceps dulciores & esui gratiores. Ergo aqua seu aqueum humidū simplex neq; potentia esse potest subiectum primū saporis &c.*

f Itemque fieri non poteſt,] *Refutatio secundæ opinationis. Si omnia saporum semina separatim dispersa latent in aqua, ex vna eademq; parte aquæ diuersi sapores non poterūt oriri iuxta hypothesin huius sectæ. At certū est, ex vna eademq; aqua vel nutrimēti parte, quæ attrahitur ab aliqua arbore effici diuersos sapores; alium in cortice, alium in foliis, alium in fructibus. Ergo qui illam sequuntur, opinione sua falluntur.*

g Relinquitur ergo,] *Secundo infertur vera*

vera ſententia. Reſtat igitur vt dicamus humidum aqueum eſſe quidem ſubiectum ſaporis ſed aliquid perpeſſum. Quicquid autẽ patitur a contrario patitur. Humidum igitur patietur a ſicco.

h Illud vero perſpicuum eſt,] *Cum duplex ſit ſiccum, igneum & terreſtre, oſtendit non potiſſimum ab igneo ſicco prouenire ſaporem in humido aqueo, & ſimul tertiã opinionem refutat, negans ex ſimplici aqua per calorẽ tantum procreari ſapores, cum ſiccitas terreſtris neceſſario requiratur, permixta cum humido aqueo. Siccum caloris tantum eſt ſaporum* συναίτιον. Διάνοια *hic talis eſt. Si ſapores fiunt ex aqua, quæ percoquatur a calida efficiente cauſa vtpote a ſole, oportet vt aqua etiam ab iſta cauſa incraſſetur aliquantũ, ſicut omnia humida a calore magis incraſſantur: & ſapores requirunt ſubiectum craſſiuſculum, non ſimpliciſſimum humidum. Aqua autem nullo modo craſſeſcit etiã valde excocta. Non igitur educuntur ſapores ex aqua ſimpliciter, ſed ex humido quod paſſum eſt a ſicco.*

w ψαθυρὸν) *eſt humidũ tale quod propter inopiã humiditatis viſcoſæ plurimũ extẽdi nequit.*

i Sapores vero qui in] *Siccum terreſtre potius eſſe efficiens ſaporis probat, primum a fructibus terra naſcentibus. In his ſunt ſapores qui naturam terræ referunt, ex qua naſcuntur & aluntur; ex dulci enim dulces, ex ſalſa ſalſi prodeunt & ipſi fructus aliquam craſſitudinẽ ſub-*

D

stantiæ seruant, in quo etiam terra naturã imitantur. Ergo siccum terreum facit ad generationem saporis vt causa propinqua.

k Aquam talem, qualis sit] *Secunda: a thermarum aquis quæ per terram sulphuream, aluminosam, bituminosam labuntur. Harũ enim terrestrium rerum naturã & saporem referũt. Item a lixiuio & fontibus.*

l Humidum enim, vt etiam) *Vltima probatio est. Aqua est ἄχυμος. Vt igitur capax fiat saporis est alteranda. Non autem fit alteratio nisi a contrario. At humido contrarium est siccum. A sicco ergo immutabitur aqua, & capax reddetur saporis. Iam sicci: as inest igni & terræ. Quare a siccitate ignea patietur quidem aliquid, sed tamẽ quia terræ est siccitas propria, terrestre siccum proprie ad generationem saporum pertinet.*

m Vt igitur ii qui colores] *Illustratio a simili sumto a fullonibus, pannos colore nuper infectos aqua abluentib. & tingentib. eos eodem colore.*

n Estque sapor ea affectio,) *Definitio saporis causalis*

o Deducit enim sapor) *Declaratio definitionis.*

p Sapores autem non) *Sapor est πάθος alimenti. Alimentum omne est mixtum. Ergo & sapor πάθος misti est.*

q Horum enim causa est,) *Saporem esse alimenti passionem probatur inde, quod alimentum destinatum est duplici vsui, augmento,* decre-

decretioni q; & nutritioni. Auget ac diminuit alimentum, quatenus est tangibile nempe calidum vel frigidum. Calidum enim efficit extensionem. Frigidum constrictionem. Nutritioni seruit quatenus est gustabile. Dulcis enim sapor arguit nutrimentum esse optimum & corpori familiarissimum, siue sit solus, siue mistus.

r Calor quidem auget *) Probatur dulci sapore prædita maxime alere. Calor perficit accretionem, coctionem & nutritionem. Semper autem attrahit leuia optimeq; excocta, grauia & terrestria relinquens, propterea quod illa sint dulcia & vere alimenta, hæc vero excrementa & reliquiæ alimentorũ. Alimenta igitur sunt dulcia.*

s Adhibentur autem *) Obiectio. Si dulci nutrimur, cur alii sapores etiam adhibẽtur in cibos? Respondetur mixtura hæc saporũ fit, primo propter voluptatẽ, vt cibi fiant suauiores, vt sint illi sapores velut condimentum. II. propter repugnantiam vt quasi retrahant ipsum dulce, quod propter leuitatem a calore natiuo animalium facilime attrahitur & sic confertim attractũ nimis nutrit & cũ periculo, quod in plethoricis corporibus patet.*

t Quemadmodum autem colores *) Sequũtur differentiæ & species saporum. Hæ proportione quadam cum speciebus colorum conueniunt. Sapores extremi duo sunt, dulcis & amarus. Reliqui extremorum naturam*

participant, ideo dicuntur medii & misti.

v Atque vt nigror) *Dulcis habet se vt habitus, amarus vt priuatio respectu ad* τρόφιμον.

x Itaque eorum omnium) *Probat in amaris esse dulcis priuationẽ quia qua exusta sunt, id est, in quib. omne humidũ dulce nutricans cõsumtum est, cinerem relinquũt amarum.*

y Democritus vero iique.) *Reprehensio est veterum physiologorum duplex. Primum enim reiicitur: Quod statuerunt omnia sensilia esse tactilia. Deinde quod non discreuerunt communia obiecta a propriis cuiusq́; sensus, vel confuderunt propria cum communibus.*

z Hi vero propria) *Qui confundit propria cum cõmunibus errat, Democritus id fecit. Ergo. Probatio maioris, Quia sensus circa propria obiecta non errat, circa communia errare potest. Obiectorum igitur confusio etiam veri & aberrãtis sensus confusionem secum trahit. Et proprium obiectum cuiuslibet sensus est vnum, quod a nullo alio sensu percipi potest. Communia vero a pluribus sensibus percipiuntur, quæ differentia certe est plurimi momẽti. Probatio assumtionis. Quia colorem proprium obiectum visus absurde refert ad leuitatem & asperitatẽ, quæ sunt communia obiecta ad figuram pertinentia pari absurditate: Saporem proprium gustus obiectum ad figuram refert quæ commune est plurium sensuum obiectum.*

a Certe ea quæ minima) *Secunda ratio*

contra

contra Democritum. Tactu cætera animantia vincimus. Est autem gustus tactus quidam. Ergo gustatus in hominib. præstans est. Secundum Democritum igitur min imas etiam figuras & harum discrimina sentiet exactissime, & alia itidem obiecta communia minime. At manifestum est quod talia nequeat iudicare gustus, sed & figuras & quascunq; species sensiles communes exquisitissime visus sentit. Quare figuræ non sunt traducendæ ad gustum neq; sapores ad figuras: alioqui sequetur confusio non tolerãda omnium sensuum & certitudinis cognitionum.

b Præterea cum ea omnia,] *Tertia ratio. Obiecta sensuum propria habent contrarietatem. Figura non. Ergo non sunt obiectum proprium vllius sensus; & per consequens neq; gustatus.*

c Figurarum incertus] *Figuræ in infinitum variari possunt vt numeri. Iam si sapores ad figuras reducuntur, ipsi quoq; erunt infiniti. Ex infinitis enim nihil constituitur finitum. Sed non sunt infinitæ saporum species. Ergo nec figuræ sunt, nec ex iis ortæ. Assumtio probatur. Si enim sunt infinitæ, nulla causa afferri potest, cur 7 illa genera ante memorata omnibus sint obuia & gustui notissima, ex aliis vero tam numerosis saporibus nullus vnquam gustui oblatus fuerit.*

ODORVM GENERA

ponit, ostenditque odori cum sapore cognationem quandam esse.

CAPVT V.

a Eodē † autem modo de odoribus etiam iudicandum est. Quod enim in humido siccitas facit, hoc in alio genere humidum sapore præditum efficit, in
b aere † & aqua eodē modo. In quib. nunc quidem id, quod pellucidum
c est, † commune dicimus. Verum odorabile est, (pellucidum aeris & aquæ) non quatenus pellucidum est, sed quatenus abluere & abstergere potest sapidam siccitatem. Neque enim † in aere modo, verum etiam in aqua odoratus versatur, idque in piscib. & iis, quæ testa obducta sunt, animaduerti licet. Olfaciunt enim
e cum † nec aer in aqua vllus sit (eminet enim aer cum inest) nec ipsi pisces respirent. Quod si quis & aera & aquam humida esse ponat, profe-

cto sapidi sicci natura in humido odor erit, & tale erit odorabile. Affectionem† autem eam a re, quæ saporem habet, proficisci ex iis, quæ odore prædita sunt, & quæ non sunt, intelligi potest. Elementa enim, vt ignis, vt aer, vt aqua, vt terra odore carent, propterea† quod ea quæ arida sunt & humida, saporis nullius sint, nisi quid admixtũ efficiat. Itaq; mare quoniam sapore & ariditate præditum est, odorem habet: & † sales sunt odoratiores quam nitrum, idque ostendit oleum ex eis eliquatum. Nitrum autẽ terræ magis naturam imitatur. Præterea lapides quoniam saporis nullius sunt, odoratus sensum nõ afficiunt: ligna autem cum saporem habeant, odorẽ efflant, atque eorum ea minorem, quæ aquæ copia abũdat: præterea eorum quæ eliciuntur e terra, aurũ quidem, quoniam omni sapore caret, nullius odoris est particeps. Aes autem & ferrũ odore sunt prædita. Cum vero igne humor consu- f g h

mitur, omnium feces, scorias Græci vocant, minus redolent. Argentum porro & stannum hæc odore vincunt, ab illis ipsa superantur, quoni-
i am aquea sunt. Videtur † autem nõnullis exhalatio quædam fumida odor esse; quæ sit terræ aerisque cõmunis. Atq; omnes cum de odore disserunt, ita sentiunt. Itaque Heraclitus in ea fuit sententia, vt omnia, quæ in natura rerum sunt, si fumi naturam induerẽt, a naribus inter-
k nosci posse diceret. Omnes † autẽ cum de odore dicunt ita sentiũt, vt alii vaporẽ, alii exspirationem, quidam vtrunq; esse ponant. Inter quæ est humiditas quædã. Fumosa autẽ exhalatio, vt dixi, aeris & terræ cõ-
l munis est. Et † ex vapore quidẽ aqua
m constituitur, ex hac quoddã † terræ
n genus. Sed fieri † nõ potest, vt odor horum alterutrũ sit, cum præsertim
w vapor aqueæ naturæ sit, & exhalatio fumi speciem præbens in aqua non possit exsistere, & odoratui, vt ante dictũ est, in aqua locus relinquatur: præ-

præterea † cum exhalatio eodem o
modo quo fluxio dicatur, profectò
si nec illa recte, ne hæc quidem re-
cte dicitur. Ac illud † quidem, nõ est p
dubium, quin humidum in aere &
aqua particeps fieri possit saporis
sicci, ab eoque pati aliquid. Aer e-
nim humidus est natura sua. Iã ve-
ro † si similiter facit in rebus humi- q
dis & in aere, ea quæ eluitur sicci-
tas, certe quædam inter odores ac
sapores similitudo & cõparatio sit
necesse est: imo vero in nõnullis ita
accidit. Nam & acres & dulces sunt
odores, & austeri & acerbi, & pin-
gues, & amaris putidi ac cariosi qua-
dam similitudine respondere dici
possunt. Itaque quemadmodum il-
li gustatui cum capiuntur dolorem
afferũt, sic cariosa omnia odore te-
tro sensum afficere solent. Ex † quo r
perspicuum est, quod in aqua sapor
est, id in aere & aqua odorem esse,
ob eamque † causam frigus & cõge- s
latio tum sapores labefactant, tum
odores expellunt: præsertim † cum t

calorem qui est causa efficiens, & author, frigus geluque deleat. Genera autem eorum, quæ odoratus sensum mouent, duo sunt. Neque n. vt aiunt quidam genera non sunt eorum, quæ sub odoratum cadunt, sed sunt, explanandum autem est, & quomodo sunt & quomodo non sunt. Quoddā n. eorū genus, secundum sapores, vt diximus, definitum est, voluptatemque ac dolorem per accidens habent. Quoniam enim eius, quod pro cibo esse possit, odor ille affectio est, desiderantibus quidē cibos, huiusmodi odores, delectationem afferunt, satiatis autem & nullo alimento indigentibus, nec iucundi sunt odores, imo vero nec ipsi cibi vnde efflantur illi odores, vllam iis afferunt voluptatem. Ita hi quidem, iam vt dixi, per accidens voluptatem doloremque adferunt. Itaq; cōmunes sunt omniū animātium. Est vero & aliud genus odorum, qui per se ac vi sua voluptate afficiunt, vt ii qui efflātur e floribus

Neque enim magis neq; minus ad cibum inuitant, nec ciborum appetitum adiuuant, sed contra potius eum impediunt. Verum enim est id ꝙ in Euripidem salse dixit Stratis.

Cum lens loquitur, vnguenti nil infundito.

Qui † a. immiscent poculis eiusmodi δυνάμεις (id est odores peregrinos) cõsuetudine voluptati vim afferũt, donec ex duob. sensib. cõtingat voluptas tanquã vna & ab vno (id est sensu). Atque hoc † quidẽ genus eorum quæ olfaciendi sensum mouent, hominis est proprium. Quod autem ex saporum varietate ductũ est, id alia etiam animantia, vt ante diximus, attingit. Et illorũ quidem genera, quoniam per accidens voluptatem adferunt, secundũ sapores distincta sunt: horum non item, propterea quod eorum natura per se voluptatem pariat aut dolorem. Cur † autem talis odor proprius sit hominis, cerebri frigus causa est. Nam cum frigidum sit cerebrũ natura sua, isq; sanguis qui circa ipsum

x

y

z

in venulis est, tenuis ille quidem & purus sit, sed facile etiam refrigeretur, fit vt nutrimenti exhalatio in eo loco refrigerata, rheumaticos morbos pariat, hac sane de causa hoc genus odorum ad valetudinis præsidiũ hominum generi datum est. Neq; enim aliud eius munus & opus est, idque perspicue exsequitur. Nam cum cibus & aridus & humidus, qui etiam voluptate sensus mouet, sæpe morborum causas adferat, is tamen qui propter odorem, qui per se suauis est, iucunditatẽ habet, vtilitatẽ
a semper fere† hominib. vtcũq; se habeãt, afferre solet. Ob eamq; causam respiratione sensus eius oritur nõ omnibus, sed hominibus, & eorũ, quæ sanguinẽ habẽt quadrupedib. iisq; õnib. quæ aeris natura magis vtũtur.
b Nam † cum ad cerebrum odores leuitate caloris, qui in eis inest, feruntur, tum magis valent eæ partes, quæ eo loco continentur, præsertim cum odor suapte natura vim caloris ha-
c beat. Natura autẽ † respirationis v-
sum

sum duabus de causis adhibuit, præcipuã quidem ob causam ad pectoris præsidium: accessorio autẽ quodam vsu, & obiter ad odorem. Cum enim respiratur, quasi trãsitu quodam per nares motum affert. Proprium † est *d* autem hominis naturæ hoc genus odoris, propterea quod maximum & humidissimum habeat cerebrum, secundum proportionem suæ quantitatis ad cætera animantia. Ob eam enim causam solus homo ex animãtibus sensum habet, voluptatemque percipit odorum, qui e floribus alijsq; eiusdem generis efflantur. Modum enim quendam & temperationem affert eorum & calor & motus humori ac frigori, quorum pars illa copia abundat. Alijs autem animantibus, quæ pulmonẽ habent per respirationem, alterius generis odoris sensum natura dedit, vt ne duas sensus sedes faceret. satis enim est, quoniam respirant, vt respirãdo, quemadmodum homines vtriusque eorum quæ odoratum mouent, sic hæc

e alterius tãtũ sensũ habeāt. Quæ† a. nõ respirãt, ea qꝫ sensum habeãt odorabiliũ manifestũ est. Nã & pisces & õne genus insectorũ exacte & ex lõga distãtia odorãtur ꝓpter genus odoris qꝫ ad victũ ꝑtinet, tũ cũ ꝓcul a ꝓprio suo alimẽto absunt: vt apes circa mel faciunt & lõgarũ formicarum genus, quas nõnulli culices vocãt, & inter æquorea purpuræ, multaq; animaliũ eiusdẽ generis, acrẽ sensum habẽt nutrimẽti propter odorẽ. Sed

f quo† sentiant, non ita perspicuũ est. Itaq; quæri potest, qua re odoris sensum habeãt, si q̃dẽ in iis quæ respirãt, odoris sensus vno modo reperiatur: Hoc n. in iis omnib. quæ respirãt, videtur cõtingere. Illorũ v. nullum respirat, quamq̃ sensum habent odoris: Nisi forte quidam alius sensus præter quinque esse ponatur, quod

g fieri non potest, quippe † cum odoratus in re quæ odoratum mouet versetur. Illa vero odoris sensum habent, non tamẽ eodem fortassis modo, sed iis quæ respirant, spiritus cum ducitur

ducitur id quod tegit quaſi quoddam operculum adimit, ob eamque cauſam nihil olfaciunt niſi reſpirent. Iis autem quibus reſpirandi non eſt datum beneficium, hoc ipſum negatum eſt, quēadmodum † oculis contingit, in quibus quædam animalia palpebras habent, quæ niſi aperiantur, cernere non poſſunt: alia autem iis carent, ea quæ oculos corneolos habent. Itaq; nihil requirunt, quod oculos aperiat, ſed cernunt ſtatim, ex eo ſpatio, ex quo eis deſpiciendi facultas conceſſa eſt. Eodemq; † modo alia animantia omnia eorum, quæ per ſe tetri odoris ſunt, odore nihil offenduntur, niſi forte vim interimenti habeat. Ab iis autem quæ eam vim habent, non ſecus offenduntur, atque homines carbonum vapore capite dolent, & intereunt ſæpenumero. Sic ſulphuris & bituminis vi & rerum bituminoſarum interimuntur alia animalia, eaque fugiunt propter malum quod afferunt. Alioqui odore qui per ſe iniucundus eſt, o-

mnino non mouētur, quamquam multa eorũ quæ gignũtur e terra, tetri odoris ſunt, niſi ád eorũ guſtum
k & paſtum pertineāt. Cæterum ſenſus olfaciendi, † cum impar ſit ſenſuum numerus, & impar numerus medio quodã cõſtet, videtur & inter eos qui tactu munere ſuo fungũtur, vt tactus & guſtatus, & inter eos qui alia inter interiecta re munus ſuum exſequuntur, cuiuſmodi ſunt aſpectus & auditus, medium locum obtinere. Itaque id quod odoratum mouet, quædam eſt eorum, quæ ad victum pertinent, affectio. Hæc autem vnũ quoddam genus conſtituunt. Itemque eorum, quæ ſub auditũ & aſpectum cadunt. Itaq; & in aere & in aqua odoris ſenſus percipitur. Ita fit, vt ea quæ odoratum mouent, quiddam commune cum vtroque horum habeant, quod etiam & in ea quæ tactu, & in ea quæ auditione percipiuntur, & in res pellucidas cadit. Quocirca recte per quandam ſimilitudiuem traditum eſt, id quod odoratui ſubiectum ſit,

quaſi

quaſi quandã ſiccitatis in humido & fuſili eſſe tincturam quandam & loturam. Quo † igitur modo dicẽda ſint, quoq; modo dicenda non ſint eorum genera, quæ odoratum mouẽt, hactenus dictum ſit. Quod autem † nonnulli Pythagoræi tradũt, nõnulla eſſe animalia, quæ odore victitẽt, id non eſt conſentaneum; Primum † enim cõpoſitũ alimẽtũ eſſe oportere cernimus, etenim † ea quæ nutriuntur nõ ſunt ſimplicia. Itaq; † excremẽta fiũt vel in ipſis (nũtritis) vel extra ea, quod plantis accidit. Deinde ne † aqua quidem ipſa ſola, niſi ſit admixta, alendi vim habet. Corporeum enim quiddam ſit oportet id, quod coagmẽtari & cogi debeat, præterea multo minus cõſentaneũ eſt aera in corpus cogi atque coaleſcere. Quod † etiã hinc ſciri licet, quia omnib. animantib. locus cibis recipiẽdis datus eſt, ex quo trahendo corpus accipit. Eius autẽ † quod odoratũ mouet, in capite ſenſorium eſt. Et quoniã cum

l m n o p q r s

ſpirituoſa exhalatione introit, ſit vt ad locum reſpirãtiõis ire debeat. Ac
t illud † quidem perſpicuum eſt, odorabile, quatenus odorabile eſt, nihil prodeſſe ad nutritionem. Ad valetudinẽ autem conducere, & ſenſu perſpici poteſt, & ex iis quæ dicta ſunt. Itaq; quã vim habet ſapor in eo quo veſcimur, & ad ea quæ aluntur, eandem etiã id, quod odoratũ mouet,
u ad valetudinem obtinet. Ac † ſigillatim quidem de vnoquoq; ſenſu dictum ſit hoc modo.

Analyſis Logica Cap. 5

a Eodẽ autem modo] *Comparat inter ſe odores & ſapores ſimiliter. Sicut ſiccum terreum producit ſapores in humido: Ita ſapidum humidum producit odores in ſicco. Efficiens cauſa procreãs odorum eſt humidum ſiccum, præſertim igneum eſt* δεκτικὸν *odorum, id eſt, in ſicco ſapido ineſt odor tamquam in primo ſubiecto. Efficiens ſaporum eſt terreum ſiccum, ſubiectum in quod agit eſt humidum.*

b In aere & aqua] *Media per quæ ſpecies odorabiles diffunduntur & deferuntur ad ſenſum, & velut ſecundaria ſubiecta odorũ aer & aqua.*

c pellu-

c pellucidum est,) *Cōmune aeris & aquæ adiunctū pelluciditas quæ videtur esse cōditio sine qua non diffūdi possit fumosa exhalatio.*

d Neque n. in aere) *Aquā esse* δεκτικὸν *odoris probat effecto scilicet olfactione adiunctorū piscium.*

e Nec aer in aqua) *Solutio obiectionis: quod pisces olfaciant, interuētu aeris, qui in aquis sit, vel quod eo aere odorentur quo ad respirandū vtuntur: per inficiationem. Aer in aqua nullus est, & pisces prorsus non respirant. Ergo olfaciunt per aquam.*

f Affectionem autem eam) *Probatio: quod odor non nisi a sicco sapido oriatur, ab exemplis sumta partim eorum, quæ odore prædita sunt, partim eorum quæ non sunt.*

g Propterea quod ea) *Ratio a genere. Quæcunq; insipida sunt, etiam sunt inodora. Odor igitur requirit eandē humidi cum sicco contemperationem quam sapor.*

h Et sales sunt) *Comparatio imparium. In sale humiditatis plus ac melius est commixtum cum sicco, quia abundātius & tenuius oleum pontinet quam nitrum. Ergo prænalet sapore & cer consequens etiam odore. Nec vero aut sapidus aut odorus esset, si esset tantum siccus.*

i Videtur autem nonnullis) *Confutatio veterum Philosophorum, qui odorem docebāt esse vaporem aut exhalationem aut aliquid ex vtroq; mistum.*

k Omnes autem cum) *Diuisio opinionum.*

l Et ex vapore quidem] *Id est, Vapor facilius in aquam cogitur, & est quasi aqua rarefacta.*
m terræ genus] *Id est, fuligo quædam terrestris: est enim terra quædam rarefacta.*
n Fieri non potest] *I. Opinionis refutatio. Vapor fit ex aqua simpliciter, quatenus aqua est, non quatenus odore prædita est. Odor autem non fit ex aqua, simpliciter, sed ex aqua quæ habet in se mistionem sapidi sicci. Ergo odor non est vapor.*
ω Vapor aqueæ naturæ) *id est, humidus fit.*
o Præterea cum exhalatio] *Secundæ opinionis refutatio. 1 In aqua fit odoratus & est odor. In aqua autem non est exhalatio. Ergo exhalatio nō est odor aut pars substantiæ eius. Odor siquidem est πάθος, at exhalatio est substantia. 2 Odor non est defluxus corporeus. At exhalatio est defluxus corporeus (græce ἀπόρροια) ideoq́ substantia. Ergo exhalatio non est odor. Argumentū a repugnante genere. Vel nullus defluxus est odor. Exhalatio est defluxus. Ergo exhalatio non est odor. Vel omnis exhalatio est defluxus. Odor non est defluxus. Ergo odor non est exhalatio.*
p Ac illud quidem) *Conclusio huius ἐργασίας, qua docuit, vnde oritur odor, & in quo sit subiecto hæc qualitas.*
q Iam vero si similiter] *Sequitur proportio odorum ad sapores ex similibus causis, 1. quoad naturas & appellationes.*
r Ex quo perspicuum est,] *2 Quoad subiectum valde cognatum.*
Eamque causam frigus) *3 Conuenientia quoad*

quoad causas labefactantes & corrumpētes, unde & contraria, efficientes, mouētes & acuentes intelliguntur. Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Calidum efficit, mouet, acuit sapores & odores. Contra frigus utrosq; vel minuit vel tollit: Oppositorum solent esse opposita causæ.

t Præsertim cum calorem) *Ratio. Quod potest causam tollere, tollet etiam effectum. Frigus potest tollere causam efficientem odoris & saporis. Ergo tollet etiam effectum ipsum odorem & saporem.*

v Genera autem eorum) *Sequitur Distinctio odorum in quasi species. Est enim distributum ex adiunctis. Alii grati sunt & suaues. Alii ingrati & insuaues. Vel ex effectis: Alii voluptatē, alii dolorē afferunt: Idq; vel per se vel per accidens. Per se absq; relatione ad nutrimentū, per accidens propter alimentum.*

x Qui autem immiscent) *Breuis digressiuncula. Obiter enim reprehendit luxum illum, quo alimenta adulterantur peregrinis odoribus: quasi violentis. Violentum enim est & παρὰ φύσιν odores in alimentis requirere & appetere hominem.*

y Atque hoc quidem genus) *Homo est subiectum ad quod, seu finis ꝯ odorum per se delectantium. Vsum vero alterum per accidens homo habet communem cum brutis. nemo enim facile cibos fœtidos assumserit aut male olens vinum.*

z Cur autem talis odor) *Cur odorum illud genus, quod simpliciter delectat, homini proprium sit explicat, nempe ut cerebri frigiditatem temperet, fluxionum pericula auertat, grauedinē*

emendet. Finis igitur est eorum, bonæ temperiei cerebri conseruatio aut restitutio.

a semper hominib. fere) *In græco est ὡς ἀπεῖν id est, vt sic dicamus, id verti fere.*

b Nam cũ ad cerebrum) *Redditur causa qui odor ille cerebri frigiditatem possit temperare. Quia odores habent facultatem naturalem calefaciendi. Argumentum ab efficiente natura.*

c Natura autẽ) *Duplex ostenditur vsus respirationis; I. Cordis, quod in pectore situ est, calor vt refrigeretur, data est homini respiratio. Hic princeps vsus est. Ideo dicit ὡς ἔργῳ μᾶλλον id est præcipuã ob causam; II. Data est ob susceptionẽ odoris. Hic vsus est minus princeps seu est accessorius. Ideo in Græco est ὡς παρέργῳ δέ.*

d Propriũ est autẽ) *Repetitur causa cur primi generis odores homini concessi sint, & additur cur brutis respirantibus natura dederit vsum odorum alterius generis.*

e Quæ autem non respirant) *Docetur hic etiã animalia non respirantia odorari, & probatur exemplis.*

f Sed quo sentiãt) *Dubitatio seu ἀπορία quo organo vel qua etiam potẽtia animalia nõ respirãtia sentiant odores. Responsio seu λύσις est. Idem est sensus olfaciendi in respirantib. & nõ respirantibus, quia obiectũ in omnib. olfacientibus est vnũ videlicet odor. Ergo sensus quoq; vnus hic est in animantib. quæ odorẽ persentiscũt. Sensus enim distinguũtur per obiecta. Ex parte*

parte tamẽ sensorii seu organi quędã apparet diuersitas in modo agendi vel recipiendi odores.

g Quippe cum odoratus) *Odoratus obiectum est odorabile. Qua vero respirationem non habẽt etiam sentiũt odorabile. Ergo odoratus idem cum reliquis genus habet. A pari subiecto.*

h Quemadmodum oculis) *Illustratio diuersitatis huius organi olfactus a simili, ducto ab oculis. Atq; hic est similitudinis* πρότασις. Ἀπόδοσις *intellecta hac est. Sic etiam animalia, quibus sensorium odoratus non est tectum, statim olfaciunt, cũ aliquid odorabile ipsis obiicitur nec indigẽt apertione aliqua organi. Vt ergo visus differt in videntibus, ita olfactus in olfacientibus. Sed visus differt tantum illic modo. Ergo & hic olfactus.*

i Eodemque modo alia) *Alia quæstio. Cum bruta non capiant voluptatem ex odoribus per se gratis, quæritur an offendantur seu dolorem capiant ex odoribus per se ingratis? Responsio est negata. Contrariorum enim est eadem ratio, & contrariorum contraria sunt consequentia. Itaq; si per se malis offenderentur, per se bonis quoq; gauderent.*

k Cæterum sensus) *Noua propositio. Recte videtur olfactus collocari in medio reliquorũ quatuor sensuum, quia habet cum omnibus aliquam communionem & cognationem. Nam odoratus fit in aere & aqua, in quo cũ visu & auditu cõuenit. Multi odores nutrimentales sunt, ac proportionati saporibus, in quo cum gustu conuenit. Est eti-*

am odor passio humidi ac sicci. Humiditas autē & siccitas sunt qualitates tactiles, in quo odoratus conuenit cum tactu.

l Quo igitur modo] *Conclusio. Dictum est per se esse species duas odorū* εὐώδες & δυσώδες *proprias homini, per accidens esse plures species, quarū denominationes secundum sapores factæ sunt, quæ nec delectant nec offendunt animalia, nisi quatenus sunt* πάθος τι τῶν θρεπτικῶν.

m Quod autem nonnulli] *Alia quæstio sequitur: An odores nutriant? Responsio est negans.*

n Primum enim compositum] ἐργασία *Quæstionis, & quidem hic prima est ratio. Corpora quæ nutriuntur sunt cōposita. Ergo nutrimēta quoq; quib. alūtur & conseruātur, sint talia necesse est. Valet consecutio. Quia similia similibus augentur & conseruantur. Porro nutrimenta sunt composita. Odor non est compositum quid. Non enim est mistum sed passio misti. Ergo non nutrit. A negata causa.*

o Etenim ea quæ] *Ex iisdem nutriuntur corpora, ex quibus constant. Constant autem ex elementis mistis. Ergo ex iisdem nutriuntur. A part.*

p Excrementa fiunt vel in] *Secunda ratio. Omnia nutrita colligunt excrementa. Hæc autem ideo segregātur a natura, quia inutilia sunt ad nutritionem, & dissimilia bono alimento. At nō potest fieri segregatio partiū dissimiliū, nisi in cōpositis. Ex odorib. nulla possunt colligi excre-*

mēta. Ergo odores nec sunt cōpositū aliquid, neq; habent vim alendi.

q Deinde ne aqua] *Tertia. Quidquid nutrit oportet esse corpulentum & habere consistentiam. Nā corpora non nutriuntur qualitatibus: quod adeo verum est, vt ne aqua quidem sola etsi corpus est, & corpulentior quam aer, apta sit ad nutriendum (multoq; minus aer) cum in ipsa frigiditas & humiditas excellant, consistentia vero terrea sit minima. Odor non est corpus, sed qualitas corporis certo modo temperati affectiq;. Ergo non potest nutrire.*

r Quod etiam hinc] *Quarta. Omne nutrimentū recipitur in ventriculū. Odor non, quia in caput. Ergo non est nutrimentum. A repugnante subiecto.*

s Eius autem quod) *Odor vna cum aere seu spirituosa exhalatione in corpus recipitur. Aer autem in thoracem respirationis locum recipitur. Ergo huc potius odor, vbi ad nutritionem nihil faciet, quā in ventriculum abibit.*

t Ac illud quidem) *Quinta. Propria species odorum quæ per se dicūtur, nihil ad nutritionem cōferunt. Cætera nutrimentorum bonitatem per accidens commendāt duntaxat, malitiam autem manifestāt animalib. itidem per accidens. Nulli igitur odores nutriunt. Quis igitur finis eorū? Valetudo, quam conseruant contemperando cerebrum, reficiendo spiritus, animi defectui succurrendo.*

v Ac sigillatim quidem) *Conclusio omnium, quæ hactenus explicata sunt.*

AN QVÆ SENSVS MOuent, infinite secari possint, nec ne & quonam modo.

CAPVT VI.

a uæri † autẽ hoc loco licet, si omne corpus infinite secari potest, an passiones sensibiles etiam possint (infinite diuidi) nec ne, vt sunt color, sapor, grauitas, leuitas, durities, & mollities? Est enim vnumquodque eorum sensus efficiens, præsertim cũ ex eo omnia dicantur, quod sensum mouere possint. Ita necesse est si vis ipsa, etiã sensum infinite diuidi, & omne, quod cadat sub sensum, ma-
b gnitudinem esse. Fieri † enim non potest, vt cãdor cernatur, quia magnitu-
c do quoque videatur. Si † enim ita non est, corpus aliquod esse poterit, quod nec colorem habeat nec grauitatem, neque vllam aliam talem affectionem. Itane sub sensum quidẽ cadet omnino, hæc enim sunt sensibilia. Quod er-
d go † sensum mouet, concretum erit ex

iis quæ sensui non subiiciuntur. Atqui illud necesse est: Neq; enim ex mathematicis rebus constare vllo modo potest. Præterea † quo tandem hæc ipsa iudicabimus & cognoscemus? An mẽte? At intelligibilia nõ sunt, nec mens intelligit ea, quæ extra (ipsam) sunt, nisi cum sensu coniuncta sint. Simul vero si hæc ita sunt, iis, qui magnitudines indiuiduas faciũt, assentiri videntur. Sic enim ratio explicabitur. Sed fieri non potest. De his autem in libris de motu dictum est. De † eorũ autem explicatione vt dicamus, hoc etiam simul perspicuum erit, quamobrẽ certo numero conclusa & terminata sunt genera colorum, saporum, sonorũ, aliarumq; rerum quæ sensum mouent. Quorum enim extrema sunt, eorũ mediæ partes finitæ sint necesse est. Extrema autem sunt contraria: & omne sensibile habet contrarietatem, vt in colore album & nigrum, in saporibus dulce & amarum, atq; etiam in cæteris omnib. extrema contraria sunt. Ac cõtinuum quidem infinite in partes inæquales

e

f

ſecatur, in partes autem certo numero determinatas. Quod autem per ſe non cōtinuum eſt, in ſpecies finitas diuiditur. Quoniam igitur πάθη (ſenſibilia) in ſpeciebus numerāda ſunt, eſtq; in his etiam ſemper cōtinuatio, ſupponendū eſt, quod ſit aliud potētia eſſe,
g & aliud actu eſſe. Ob eamque† cauſam fugit aciem oculorum milleſima pars milij, cum cernitur, etſi aſpectus totam milij magnitudinē percurrit: Sonusq; is, qui in dieſi eſt, auditum fugit, & quāquam ipſe totum cantum, & continuū exaudit, tamen interuallum, quod interiectum eſt inter extremos, non percipit. Quod de aliorū, quæ ſenſum mouēt, minima quaq; parte iudicandum
h eſt eodem modo. Eæ † enim partes (minimæ) potentia ſunt viſibiles, actu autem, cum ſeparatæ ſunt. Etenim pedalis linea potentia ineſt bipedali, actu vero (eſt pedalis) iam diuiſa. Separatæ autem tantillæ præſtantiæ recte in ea, quæ eas continent, diſſoluuntur, non aliter ac ſi ſuccus exiguus in mare infu-
i ſus ſit. Sed† quoniam ſenſionis exſupe-

rantia per ſe non eſt ſenſilis, ne ſi ſeparatur quidem (exſuperãtia enim potẽtia ineſt in exactiore) ſit, vt neq; tãtillum, ſenſile ſeparatũ actu percipi poſſit, ſed ſimul erit ſenſibile: Iam enim potẽtia eſt, & actu erit, ſi adiiciatur. Ac illud quidem docuimus, eſſe magnitudines affectioneſq; quaſdam quę ſenſus fugiãt, & cur ita fiat, & quatenus ſenſu pcipiãtur & quatenus nõ pcipiãtur. Cũ a. in eo (in magnitudine aliqua) tot erũt particulæ (minutæ) vt etiã actu ſentiãtur, nec ſolũ in toto ſed etiam ſeparatim, qua ex parte numero finitæ ſunt, neceſſe eſt numero etiam cõcludi & colores, & ſapores, & ſonos. Quæret† a. aliquis, an vel ſenſibilia vel motiones a ſenſibilibus factæ (quocũq; tãdẽ modo ſenſus fiat) quãdo agũt, ad mediũ primũ perueniãt? id ꝙ odor & ſonus facere videtur. Nã & † is, qui ꝓpior eſt, prior etiã odoris ſenſum percipit & ſonus ad auditum poſt ictum peruenit. Quæri ergo poteſt, itane res habeat in iis, quæ ſub aſpectũ cadũt, & in lumine. Que mad-

m modum † etiam Empedocles ait, prius lumen id, quod sol effundit, ad mediũ, quam ad oculos aut terram peruenire. Quod quidem non iniuria euenire vi-
n deatur. Nam † cum id quod motu cietur ex aliquo in aliud moueatur, fit vt tempus sit aliquod, in quo illud ex alio in aliud mouetur. Cumque tempus omne diuidatur, erat, cum nõdum cerneretur, sed in medio aere radius ad-
o huc ferretur. Quod † si omnia audiunt simul & audierunt, ac in genere & sentiunt & senserunt: etiam non est eorũ generatio, sed nihilominus, sunt simul absque eo, quod fiant aut generentur. Nihilominus in sono hoc animaduerti licet, facta iam plaga nõdũ aures pulsare & ferire: idem manifestat & literarũ figuratio, quasi quædam latio in medio fiat. Neq; enim id quod dictum est, exaudisse videmur, ꝑpterea, quod aer impulsus transfiguratur. An † igi-
p tur ita res habet in colore & lumine?
q Neq; † enim ex eo quod quodam modo affecta sunt, hoc cernit, illud cernitur, quasi æqualia sint. Nõ enim alicubi

alter

alterutrũ esse oporteret, quippe cum in iis, quæ æqua & paria sunt, nihil referat, sintne propinqua inter se an remota. An cõsentaneum est, hoc ipsum in sonis & odorib. contingere? Habẽt enim sicut aer & aqua cohærentẽ naturã, sed tamen vtriusque eorum motus partibus constant. Itaq; fit vt idem, (eundem sonũ vel odorem) primus & posterior exaudiat & odoretur, fit etiã vt non idem. Vnde hæc etiam nonnullis dubitationẽ afferunt. Negant enim fieri posse quidam, vt alius idẽ audiat cernat & olfaciat, quod alius. Non enim multos & remotos inter se idem audire ac olfacere posset. Vnum enim ipsum a se distractum alienumq; esset. Vel † certe ea res, quæ prima sensum mouet, vt tintinnabulũ & thus, & ignẽ, eãdem vnamque numero, omnes sensu percipiunt. Quod vero attinet, ad eã quæ singulorum iam propria est, eam aliam numero, speciei autem eiusdem sentiunt? Itaq; multi simul & cernunt, & olfaciunt, & audiunt. Sed hæc ipsa nec corpora sunt, verum affectiones.

quædam & motus (neque enim hoc e-
ueniret) nec sunt tamen absq; corpore.
De lumine vero alia ratio est. Lumen
enim quia est, sentitur. Nec vero eadē
ratio est alterationis & loci mutatio-
nis. Loci enim mutationes recte in
medium primo perueniunt: & sonus
motus quidam videtur esse rei alicuius
quæ deferatur. Quæ autem alterantur
non iam ita habent: fieri enim potest,
vt vniuerse & confertim aliqua cōmu-
tētur, non dimidia pars primo, vt aqua
simul congelatur. Quamquā si qua res
magna concalefacienda est aut cogē-
da, ea pars quæ propinqua erit, a pro-
pinqua affici solet, & a re quæ vim ha-
bet commutandi, primum mutatur:
neque necesse est simul totam immu-
tari. Atque etiam sapores eandem vim
haberēt hac in parte, si in humore ver-
saremur quā odores, quos etiam longi-
ore interuallo antequam tangeremus,
sentiremus. Rationi autem consenta-
neum est, quod ii sensus, quorū sensori-
um habet † medium, non simul (cum
medio) afficiuntur, præterquam circa
lumen

lumen, propter causam dictam: Et propter hoc (lumen) etiam circa visum: lumen enim efficit cur videamus.

Analysis Logica CAP. 6.

a Quæri autem hoc loco) *Quæstio. An quemadmodum nulla est tam exigua quantitas corporis, quæ sensum prorsus fugiat: sic etiam nullum sit tam exiguum sensile, quin sensum tamen afficere possit? Primum in vtranq; partem disputatur. Deinde explicatis dubiis veritas patescit.*

b Fieri enim non) *Prima ratio, qua videtur probare πάθη sensilia infinite diuidi posse, cum nusquam sint, nisi in magnitudine, seu in corpore quanto. Cum igitur omne corpus sit diuiduum, nō videtur, quod ista sensilia sint expertia eiusdem diuisionis. Exempli causa, si minimus color est visibilis, etiam minima magnitudo est visibilis, quia nunquam color est sine corpore subiecto. Consentaneum autē est minimū colorem hærere in minimo etiam subiecto.*

c Si enim ita non est,] *Secunda. Si non sunt semper diuidua illa πάθη vna cum magnitudine corporum subiectorum, sed diuisione ac diminutione magnitudinis ipsa euanescunt & intereūt, maximū sequetur absurdū. Quæcūq; sentiūtur, sentiūtur propter sensiles qualitates. Corpusculū ad minimā redactum exilitatem*

carere dicitur illis qualitatibus. Ergo non sentietur. Sed absurdum est cogitare, vllum corpus esse, quod nec graue nec leue nec coloratum sit, nullaq; affectione praditum, qua sensibus percipi possit.

d Quod ergo sensum) *Tertia. Si propter mainsculā quantitatem corpora sunt sensilia, quia scilicet in ea quantitate remanent πάθη sensilia: sequetur ex minimis illis insensilibus oriri corpora sensilia: quod, est ἀδύνατον Non enim oportet principia & e principiis orta hoc modo discrepare.*

e Praeterea quo tandem) *Quarta. Perspicuū est, datum corpus absq; sensilibus accidentib nō posse sensu cognosci. Ergo incognitum erit. Cur autem & quomodo dicitur corpus si incognitum est? Sed fortasse mente cognoscetur? Minime. Hac enim nihil extra se positum absq; sensus adminiculo intelligit. Hoc autem hic nullum est.*

f De eorum a.) *Explicatio vera sententia. Species sensiliū sunt finita, nec in infinitū diuisibiles. Ratio. Quorū extrema finita sunt, eorū media quoq; finita sunt. Omniū a. sensiliū extrema sunt finita, & contraria sunt species extrema. Ergo media etiā finita erunt: & vi consequentis, species omnium sensiliū sunt finita.*

g Ob eamque causam] *Exemplis declaratur quantum sit discrimen inter ea, quæ sunt actu & quæ potētia. Actu exsistēs & separata a toto grano milii pars millesima, est sensilis, & conspici*

spici potest per se. Potentia vero tantũ existens in ipso grano non est conspicua, nisi potentia.

h Eæ enim partes) *Comparatione illustratur, quomodo partes qualitatũ sensilium, quæ sunt in continuo, nõ sentiantur actu, sed tantũ potestate. Nam & partes continui sunt in potẽtia tantũ, sed a cõtinuo vel toto separatæ sunt in actu. Idem hoc etiam sensilium partibus accidit. Ac licet etiam totum aliquod sensile sentiatur: latet tamen qualibet eius partium, cum sint potentia tantum in toto.*

i Sed quoniam sensionis] *Sententia est, Etsi maxime exile sensile non euanesceret aut dissiparetur in continẽtem aquam vel aerem, sed maneret separatum, tamen per se non sentiretur. Ratio est. Quia quando sensile est minus & imbecillius, tanto minorem etiam in sensu efficit mutationem. Si vero minus exile est, prorsus non sentitur. Quia virtus sensitrix non crescit infinite.*

k Quæret a. aliquis) *Noua Quæstio. An omne sensile prius afficiat mediũ quã sensum necne? Cõcluditur hac affirmate.*

l Nam & is qui propior est) *Ratio prima. Eadem videtur esse analogia omnium obiectorum ad sensum suum. Odor a. & sonus secundum tempus prius sunt in medio quam in sensu. Quare de cæteris vt de lumine & colore idem fiet.*

m Quemadmodum etiam] *Secunda ab auctoritate Empedoclis*

n Nam cum id quod *)Tertia, Omnis motus qui fit ex imo in aliud, fit in tempore, lumen defertur a lucido corpore ad visum. Ergo in tempore ita defertur: Et per consequens prius fertur in medio quã ad oculũ pertingat.*

o Quod si omnia] *Refutatio cuius sententia est: Si quis existimat omnem sensationem fieri absq; tẽpore, is errat. Cur enim id sono id ipsum nõ accidit? cur prius videmus motũ linguæ in loquẽtibus, quam sermonẽ recte percipiamus? Repugnant igitur exempla soni & sermonis.*

p An igitur ita res] *Repetitur prius dubiũ.*

q Neque enim ex) *Responsio ad propositã* ἀπορίαν. *Et si videri poterat eadem esse ratio de colore, quæ est de sono & odore, tamen non est eadem sed multum differens.*

Vel certe ea res) *Responsio vera ad hanc interiectã quæstionem. Quæ species sensiles nõ existũt nec sentiuntur sine incitatione quadam & motu locali, illa sunt prius in medio quã in sensu. Cũ igitur soni & odoris species multiplicentur per motũ & immutationẽ aeris, nõ possunt subito pertransire totũ spatium medium inter sensum & obiectum. Necessario igitur prius sunt in medio quam in sensu. Quæ vero motu tali non egent, non prius sunt in medio quam sensu, sed simul in vtroque, vt lumen & color, quia sunt actus perfecti, nõ qui fiunt, sensumq; statim mouere possunt. Dissimilitudo igitur sensilium specierum manifesta est.*

s medium) *Intellige medium externum.*

OMNIA SENSVM MOuentia secari posse, nihilque quod secari diuidique non possit, sensu percipi posse.

EXistit † etiam quædam alia *a* quæstio de sensibus, vtrum duæ res simul eodem, eoque indiuiduo tempore sensu percipi, necne possint? Maior † quidem mo- *b* tus ac vehementior, minorem obscurat & obruit. Itaque si quid oculis obiiciatur, id percipere & sentire non solemus, quoties acriter animum in aliquam rem intendimus vel pertimescimus, vel magnum sonũ exaudimus. Idque positum sit. Illud etiã, nos vniuscuiusque rei cũ simplex est magis sensu affici, quam cum permixta & concreta est, veluti vinum merum quam dilutum, & mel simplex, atque color facilius sensus nostros afficiunt, itemq; nete sola, quam cum est in modo, qui dia pason nuncupatur, propterea quod aliud ab alio obruitur. Hoc autem

ea faciunt, ex quibus vnum aliquid efficitur. Si igitur maior motus minorem obscurat, eundem necesse est, si coniuncti sint, minus quamsi solus esset sensum mouere & afficere. Aufert enim aliquid minor cõmixtus, siquidem simplicia omnia plus ad mouendos sensus valent. Quod si forte pares sint atq; diuersi, ne alterius quidẽ sensus erit, præsertim cum alter alterum æque obruat & obscuret. Simplex autem nõ æque sentiri potest, ob eamque causam vel nulla sensio orietur, vel alia ex ambobus: quod quidem fieri videtur ex rebus, quæ permiscẽtur, quatenus mixtæ fuerint. Quoniam igitur ex quibusdã aliquid nascitur, ex aliis nõ nascitur, cuiusmodi sunt, quæ diuerso sensui subiiciuntur (ꝑmiscentur enim ea, quorũ extrema cõtraria sunt, ex albo autem & acido vnum fieri non potest, nisi per accidens, nec tamen vt ex acuto & graui concentus) fit vt ne eorũ quidem

dem sensu vna affici possimus. Motus enim si pares sint, alius aliũ obruit, quandoquidem non vnus ex iis componitur. Sin impares sint, vehementior sensum faciet. Præterea facilius† duas res simul animus vno sensu percipere potest, quorũ vnus c est sensus, vt acutum & grauem sonũ. Magis n. simul vnius, quã duorũ sensuũ, vt aspectus & auditus, motus exsistit. Vno autẽ sensu duæ res simul percipi non possunt, nisi inter se misceantur. Permixtio enim vnum quiddam vult esse, & vnius vnus est sensus, vnus porro simul idem est. Ita fit vt ea, quæ permixta sunt, simul sentiãtur necessario, ꝙ vno sensu q actu sentit, percipiãtur. Vnius †.n. numero vnus est sensus actu: vnius specie, vnus est sensus d potentia. Quod si vnus sensus est actu, sentiens pro vno habebit illa (ꝑmixta quę sentit) vt quæ mixta sint necesse est. Cum ergo inter se permixta & confusa non erunt, duo

sensus erunt, qui suo munere fungantur. Atqui ab vna vi vno puncto temporis, vnam esse actionem necesse est: præsertim cum vna vis & facultas non plus quam vnum visum motumque semel habeat. Hic vero vna est vis & facultas. Fieri ergo non potest; vt duæ res simul vno sensu comprehendantur. Quod si ea, quæ eidē sensui subiiciũtur, non possunt, si duo sint, certe multo minus ea quæ duobus sensibus proposita sunt, vt alba & dulcia, simul sẽtiri possunt. Videtur enim animus id quod vnum numero est non aliter nisi quod simul est iudicare, specie vero vnum (iudicat vel cognoscit anima) sensu iudicante, & modo quodam. Dico autem hoc, quia fortassis album & nigrum, quod aliud secundum speciem sint ipsamet (anima discernens) iudicat & dulce amarumque, nihil quidem a seipsa, ab illo autem differens, aliter autem alterutrum contrariorum.
p Percipit † autem σύςοιχα vt eadem seipsa

ſeipſa. Exempli gratia, vt guſtus ſe habet ad dulce, ita aſpectus ad album, quoque loco, hic atrum eodem ille amarum habet. Præterea ſi † contrariorum motus contrarii ſint, & ſimul contraria in eodem, & indiuiduo ineſſe non poſſunt, vnique ſenſui cõtraria, vt dulce & amarum ſubiiciuntur, profecto fieri nõ poteſt, vt hæc ipſa ſimul ſenſu comprehẽdantur. Quod eodem modo in iis, quæ contraria non ſunt, animaduerti licet. Alii enim colores candorem, alii atrorem imitantur: aliorumque etiam eadem ratio eſſe videtur, veluti ſapores partim ad dulcẽ partim ad amarum accedunt. Nec † vero ea, quæ ex aliis tẽperata & confuſa ſunt, ſimul ſentiri poſſunt, quoniam cõtrariorũ rationes ſunt veluti modus is, qui diapaſon, & is ꝗ diapente dicitur, niſi forte vt vnum ſenſu cõprehendãtur, quo quidem modo extremorum vna ratio fit. Aliter autem non. Sic enim erit ſimul illa quidem multorum f g

cum paucis, vel imparis numeri cum pari proportio, hæc autē paucorum cum paucis, vel paris cum impare. Si igitur ea quæ secundum συςοιχίαν quidem dicuntur, sed in diuerso sunt genere, magis inter se distant ac differunt, quam ea quæ in eodem genere sunt, (appello autem σύςοιχα, veluti dulcia & alba, genere autem differentia, dulce vero plus etiam a nigro discrepat quā
b ab albo) profectò †minus poterunt simul sentiri quam ea quæ genere sunt eadē. Quapropter si non hæc
i ipsa, ne illa quidem. Quod † autem proferunt quidā eorum, qui in concentuū ratione versantur, sonos nō simul quidē ad sensum peruenire, videri autem & nos hoc latere, cum tempus fuerit insensibile, id quæri potest, recte ne an secus asseratur? Dicat enim fortasse quispiā etiam nunc, ex eo videri simul cernique aliquid, & audiri, quod interualla temporis nos effugiant. Certe non
k ita est. Nec † vllum tempus fugere sensum

sensum potest, aut latere nos, sed omne sensu comprehendi potest. Si enim cum aliquis sui ipsius sensum habet, aut alterius continuo tempore, non potest ipsum latere quod sit, sique est aliquod (momentum temporis) in continuo tempore, & tantillum quãtum plane sit insensibile, manifestum est, quod seipsum ignorabit, an sit (sentiẽs) quodque an cernat & non sentiet, & sentiet. Præterea non erit nec tempus, in quo tu aliter sensu percipias, quam quia in eius parte aliqua: nec res vlla sensu percipietur, nisi quod tu eius aliquam partem cernas, si qua sit modo & temporis & rei magnitudo, quæ sub sensum propter paruitatem non cadat. Si enim rem totam cernat, totumque tempus ita continenter sentiat, non quod in eius aliqua parte, aut quod eius partem quandam intueatur: Si modo sit aliqua magnitudo, detrahatur B C, quæ est portio non cadens sub sensum, certe in huius parte quadã,

vel eius partem aliquam, veluti terram totam cernit, quod eius partem videt, & annuo tẽpore ambulat, quod hac eius parte. Atqui in B C nihil sensu comprehendit. Eo igitur quod in aliqua parte huius A B sentit, totius sensum habere dicitur. Eadem etiam in A C ratio valet. Semper n. & in aliqua temporis parte, & alicuius rei pars quædã sensu comprehenditur, totius autẽ non fit sensio. Totæ igitur res sub sensum cadũt, sed quantæ ipsæ sint, nõ apparet. Cũ n. solis magnitudinem quis cernat, & magnitudinem quatuor cubitorum eminus, tamẽ quanta est ei non apparet, sed interdum indiuisibile, & tamen non cernit indiuisibile, cuius causa ante cũ de hoc disputaremus, allata est. Ex quibus perspicuum est, tempus esse nullũ, quod sensum effugere possit.
De ea † autẽ quæstione, quæ paulo ante posita est, vidẽdum est, vtrum simul plura sensu comprehẽdi nec ne possint. Simul autem dico in vno & indi-

& indiuiduo tēpore. Primum igitur nū hoc modo contingit (plura sentire simul) vt simul quidem, sed alia animi parte fiat sensio, & ita indiuidua (parte) vt quæ vndiquaque cōtinua sit? An † primum euidens illud m
est vna sensione, vt verbi gratia visu (quo nimirum vnum quid duntaxat & non aliud præterea sentiatur) simul totū percipi, qua sensione nōne plures vnius coloris partes specie nihil discrepantes in potestate sua habebit anima? At quæ præterea simul percipiuntur, si nō specie sunt, genere tamē eadem sunt. Aut, † dixeritquis, sicut duo oculi nō impe- n
diunt, (quo minus res vna cernatur,) ita etiam in anima, idem fieri, propterea quod fortasse ex his vnū aliquid efficiatur, vnaque sit eorum ἐνέργεια. Ibi † autem si vnum ex o
vtroq; fiat, illud erit id quod sentit. Sin distinctum erit, vtrunque non eodem modo habebit. Præterea idem † sensus plures erunt, non se- p
cus ac si quis diuersas dissimilesq;

ſcientias dicat. Neque enim munus ſine vi ac facultate ei congruente exſtabit, nec ſine hac ipſa ſenſus erit. Quod ſi horum vno eoque indiuiduo tempore ſenſum habet, profecto cæterorũ etiã habebit. Facilius n. poterat plura huiusgeneris ſimul, quã diuerſorum generũ ſenſu cõprehẽdere. Si v. alia parte dulcia alia alba animus ſentit, vel id ꝙ ex his cõflatur, vnũ eſt, vel nõ vnũ. Atqui vnũ ſit neceſſe eſt. Vnũ enim quiddam ea eſt pars animi, qua ſentit. Cuius tandem vnius illud erit? nihil enim ex illis vnum efficitur. Neceſſe eſt igitur vnam aliquam animi partem eſſe, qua omnia ſentiat, quemadmodũ ante diximus, ita tamen vt aliud genus alio ſenſu percipiat. An igitur quatenus aliquid eſt indiuiduum proprio actu ſuo, vnum quiddam eſt ſentiẽs dulce & album? Cum autem actu diuiduum ſit, aliud eſt? an quemadmodum in rebus ipſis, ſic etiam in animo vſuuenit? Idem enim vnumque

numero

numerō dulce & albū eſt, & alia pleraq;. Affectiones n. proprietatesq; rerum ſi minus inter ſe ſecretæ ſeparatæque ſunt, at certe ſua cuiq; & diuerſa ratio ac definitio eſt. Eodēque modo de anima (ſentiente) ſtatuendum eſt; idem & vnum numero eſſe, quod ſentiat omnia, ratione autē aliud atq; aliud, ita vt partim genere, partim ſpecie diuerſas ſenſiones percipiat. Ita animus ſimul eadem & vna parte, ratione autem non vna ſentiet. Illud † autem perſpicuum eſt, & magnitudinem eſſe & diuidi poſſe id omne, quod ſenſum moueat. Eſt enim interuallū, quo res cerni nō poteſt, infinitum, vnde autem cernitur, certum atq; finitum. Quod de iis, quæ ſub odoratum & auditum cadunt, quæq; ſenſum faciunt, cum ipſa non continguntur, iudicādum eſt eodē modo. Eſt igitur aliqua interualli extremitas, vnde res non cernitur, eſt etiam initium, a quo cernitur. Idq; eam vim habeat neceſſe eſt, vt di-

uidi nequeat, vltra quod sensu affici nemo possit, citra vero afficiatur necessario. Si † vero aliquod indiuisibile est sensile, id si in extremo collocetur, vnde vltimum quidem non sit sensile, primũ a. sit sensile, simul fiet vt visibile sit & inuisibile, quod est impossibile. De sensoriis igitur & sensilibus, quomodo se habeāt, & communiter, & circa vnumquodque sensorium dictum est.

Analysis Logica Cap. 7

a Exsistit etiamquædam] *ζήτημα huius capitis est, An multa ab vno sensu simul percipi possint. Disputatur hoc κατ᾽ ἄρσιν καὶ θέσιν. Primũ enim pro parte negante afferuntur tres rationes. Deinde concluditur affirmate: Plura sentiri simul ab vno sensu posse.*

b Maior quidem motus) *Primum argumentum ex distributione. Quæcunque sentiuntur, aut sunt disparata, id est non eiusdem generis, sed ad diuersos sensus pertinentia: vt sonus & color: aut sunt aduersa, id est eiusdē generis & specie diffidentia, ad eundē v. sensum pertinentia: vt grauis & acutus sonus. Si aduersa sunt, vel sunt virib. æqualia vel inæqualia in mouēdo sensu. Si æqualia, neutrum sentietur quia alterum ab altero obscuratur. Si inæqua-*

lia

hementius & maius tantum ſentietur. Senſio enim imbecillioris ſemper a maiore impeditur & quaſi opprimitur: ſicut vſuuenit in magno terrore, curis, ſpeculationibus profundis. Non igitur duo vel plura contraria ſimul ſenſu percipi poſſe videntur, aut ſaltem ſi percipiuntur, non vt duo, ſed velut vnum percipientur, quatenus ſcilicet cōmixta fuerint in aliquid vnū. Poſſunt enim contraria ſic miſceri, & pertinēt ad ſenſum eundem: alias autem certum eſt ſimplicia melius faciliusq; ſentiri quā mixta. Sin diſparata fuerint, quæ ſenſui obiiciuntur: multo minus ambo eodem tēpore percipientur. Nam itidem ſi ſint imparia, fortius tantum ſentietur. Obſtabit enim quominus id quod imbecillius eſt ſentiatur. Si paria, æqualem obſcurationem & par impedimētum mutuo patientur ambo. Nec vero etiam vt vnum ſentiri poterunt: quia diſparata non poſſunt miſceri atq; vnū fieri, veluti ex albo & acido nihil vnum fieri poteſt: Sed diuerſorum ſenſuum obiecta non minus poſt, quam ante manent.

c Præterea facilius) *Secundū argumētum p ſententia negāte. Magis facile & δυνατὸν, eſt vno ſenſu plura percipere ſimul quam pluribus diuerſa (quia vnus ſenſus verſatur in contrariis, & poteſt contraria percipere) Et tamen illud non fit. Ergo multominus fiet vt pluribus ſenſibus plura diuerſaq; obiecta ſimul percipiātur, vt album & dulce, calidum & nigrū, quæ*

nõ miscentur. Argumentum ductũ est ex eo, quod magis inest: & valet cõsecutio ex regula topica: Si quod magis inesse videtur, non inest, non inerit etiam quod minus inesse videtur. Antecedens probatur. Quia contraria, quæ tamen ad vnũ eundemq; sensum pertinent, vt album & nigrum, dulce & amarum, nõ simul sentiuntur nisi permixta & in vnam speciem redacta fuerint. Huius approbatio hæc est. Vna potentia indiuiduo tempore vnam etiam tantum habet ἐνέργειαν, *actuq; edit. Sensus quilibet est potentia vna. Ergo vno tempore actu sentiens nõ nisi vnũ sentit: vt gustus non simul percipit saporem mellis & saporem aceti. Si igitur contraria sentit, nõ sentit aliter nisi postquã per mixtionẽ vnũ facta fuerint: vt cũ melleus & acetosus sapores in oxymelite cõfusi & tẽperati vnusq; sapor facti fuerint. Tunc n. gustus nõ afficitur simul cõtrariis, vt contrariis & vtplurib. sed vt vno.*

d Vnius enim numero] *Vnus sensus vna sensatione simpliciter non percipit contraria, sed percipere potest diuerso tempore quoad illa specie vnum sunt.*

e Percipit autem σύστοιχα. Per σύστοιχα *videtur philosophus hic intelligere res eiusdem ordinis & respectus in collatione analogica vt in gustu dulce & in visu album.*

f Præterea si contrariorum) *Tertium argumentum quo negatur plura simul vno sensu sentiri. Nusquã fit vt contraria simul in eodem secundum idem inesse queant. Contrariorum*

sensilium

sensilium motus quib. afficiunt sensum etiā sunt contrarii. Ergo contrarii illi motus in vno eodemq; sensu simul inesse vel sentiri non possunt.

g Nec vero ea quæ] *Assumit iterum paulo ante probatum, quod contraria nunquam sentiātur vt cōtraria simul, sed quatenus per mistionem sub vna specie offerūtur sensui. Atq; hinc iā infert sic. Nec contraria nec subcontraria simul sentiuntur per se, etiā in mixtione: quia rationes oppositas habent si separatim considerentur. Non igitur simul sentiuntur tanquam partes cōponentes, sed tantum hoc respectu quoad vnam iam rationem vnius habent, post quā mixta sunt: vt qui intuetur sanguinem e vena incisa profluentem, in quo sunt alii etiā humores, nō vno actu inspectionis quatuor humorum colores in mixtione cernere potest, nisi sub vna ratione ac colore vno sanguinis.*

h Profectò minus poterunt] *Iteratur prius argumentum. Contraria, quæ eiusdem generis sunt & misceri possunt vt vnum constituant, non simul sentiuntur, quatenus contraria sunt. Multo igitur minus sentientur ea quæ genere discrepant: quia plus inter se distāt & differūt quam superiora illa.*

i Quod si non hæc) *Refellitur aliorum quorundā responsio & sententia de proposita quæstione. Primum autem proponitur hic.*

k Nec vllum tempus) *Refutatio constant duab. rationibus, quarum prima hoc loco est. Vtraq; a. petita est a cōsequente absurditate.*

l De ea autem] *Altera pars capitis, in qua suam sententiam philosophus de quæstione proposita explicat. Quod scilicet simul plura sentiri possunt.*

m An primum euidens) *Primus modus quo contingit vno sensu plura simul sentiri.*

n Aut dixerit quis] *Obiectio. In duobus oculis vna tantum est sensio, & plura tamẽ recipi videntur, nimirum vna species visilis in dextro, altera in sinistro oculo. Ergo anima quoq; partibus diuersis recipiuntur plura obiecta, quæ tamen sentiuntur ab ea velut vnum quid.*

o Ibi autem si vnum) Ἐπίλυσις *seu solutio. Dispar ratio est sensionis vnius vtrobiq;. Oculis duobus vnum cernitur, non quod species visibiles coeãt & vnum fiant, sed quod instrumenta ipsa, id est, nerui optici coeant in vnam cõmunem cauitatem. In hoc ergo modo visionis non multa vna sensione, vt fit in anima, percipiũtur, sed duplici instrumento vnum percipitur: & fit hic vnum non ex iis, quæ sentiuntur, sed ex iis quæ sentiunt.*

p Præterea iidem sensus] *Altera ratio eius sentẽtiæ, quod anima vna sensione & nõ plurib. neque diuersis partibus plura sentire simul possit. Si negemus contraria vna sensione percipi posse: sequitur vnum sensum esse plures. Fieri a. nõ potest vt sensus vnus sit plures. Contraria igitur vnica sensione simul percipi possunt. Propositio illustratur comparatione similium. Sicut contrariorum non sunt duæ scientiæ, sed vna:*

Ita cōtrariorum etiam non sunt duæ sensiones, sed vna tantum: quæ albūcognoscit, eadem nigrū quoq; cognoscit, Qui duabus sensionibus ea apprehendi dixerit, is perinde fecerit ac si contrariorum diuersas etiā scientias esse pronunttet, cum tamē eiusdē sit scientiæ scire causas sanitatis & causas morbi, scire rectū & obliquū.

q Illud a. perspicuū est) *Vltimo ostēditur, Omne quod sentitur esse magnitudinē, & nihil indiuisibile sensu percipi posse. Sensile quatenus sensile non percipitur nisi vt quantum & diuisibile aliquid, Exemplo est visus.*

r Si vero aliquod) *Demonstrat eum rem ἀδύνατον affirmare quia sensionem in puncto fieri seu aliquid ἀδιαίρετον sentiri posse existimat.*

SEQVVNTVR EX HOC LIBRO de sensu & sensili, per Rodolphum Goclenium excerptæ Quæstiones.

I

An anima communicet sensum, vt suum ἴδιωμα corpori?

Rudes sunt prorsus (*liceat enim mihi scaphā vocare scapham, ficum ficū*) doctrinæ Aristotelicæ, qui docēt sensum esse ἴδιωμα seu proprietatem animę, quæ corpori communicetur, vt sensus per se sit & πρώτως animæ, corporis vero per ac-

cidens & ſecundario. Nam vt motus non eſt proprietas animæ, ſed oritur ab anima: ſic quoque ſenſus non eſt animæ propriũ adiunctũ, ſed oritur ab anima, vt effectum a cauſa. Hæc eſt ipſiſſima ſentẽtia Ariſtotelis, cum dicit: *ſenſum per corpus (id eſt, per ſenſorium corporeum, ſeu ope & inſtrumẽto corporis)* fieri. Profectò corpus abſque anima, id eſt, cadauer, nihil ſentit. Anima ſeiuncta a corpore, etiam nihil ſentit; ver bi gratia nihil audit, nihil videt, *(ſunt enim hæ actiones organicæ)* Senſus igitur eſt πάθος & effectus totius compoſiti, nec proprius animæ, nec proprius corpori, ſed communis corpori & animæ. Obiicitur I. *Corpus communicat animæ ſuum dolorem: Quid ni igitur communicet anima reipſa ſua* ἴδια? Reſp. Animã dolore aliquãdo affici non nego: ſed dico, vt pes afficitur dolore corporeo, qui corporis proprius eſt, ſic animam affici dolore ſpirituali, qui ſpiritus proprius eſt. Concedo etiã affici animam dolorib. corporis per συμπάθειαν ſeu conſenſum, ſed non recipere in ſe plagas & vulnera, quæ ἰδιοπάθεια eſt. Illa, quæ ſunt corporis, dico animam ducere eſſe quidem ſua, ſed per naturam propriam eſſe expertem perpeſſionum corporis. Cũ ſuſpectus facinoris alicuius torquetur συμπάσχει anima, quod corpus ſuum patiatur: ipſa vero in ſua natura non patitur corporis tormentũ. II. Anima eſt imago DEI, cuius

cuius bonitas non est ἀκοινώνητος creaturis. R. Imo absolute bonũ esse, est ἀκοινώνητον creaturæ, & bonitas, quæ datur creaturæ a Deo, nõ est ipsa Dei bonitas, quæ infinita & æterna est, sed creata & finita, illius effectum. Ita intelligatur hoc, *Deus est bonus*, per essẽtiam seu ipsum bonum. *Creatura est bona*, per participationem.

II.

Quomodo inter se concilientur, sensus est natura animalis: & naturam animalis consequitur?

Quæritur conciliatio horũ: naturæ animaliũ nihil magis intimũ quã sensus, siquidem animal per sensum est animal. *Zabarell. lib. de cõstitutione scientiæ naturalis cap.* 32. Et sensus naturam animalis omnino insequitur. *Zabarel. ibid.* Respo. Sensus vox accipitur modo pro ipsa anima sentiente, vel animæ facultate sentiẽte, modo pro operatione eius. Prius pronuntiatum verum est de sensu accepto in prima significatione. Posterius de sensu accepto in secunda. Δύναμιν igitur seu facultatem ἀισθητικὴν insequitur ἐνέργεια, id est, operatio interior. Sic cũ dicitur somno ligari sensus: intelligitur actus secũdus, id est, opatio sensuũ (*quo respectu dicitur somnus similis morti*, nõ vero

actus primus: quando enim dormit animal, actu & reipsa non cernit, non audit, cernere tamen & audire potest. At cum dicis, *Morte tolli sensum:* & primus actus, id est anima sentiens ac facultas sentiendi, & secundus actus, *id est*, ipsa actio intelligitur. Eadem prorsus distinctione conciliantur, quod Aristoteles scribit, *in 2. libro de anima*, τὸ δὴ ζῶον διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως, Quæ verba modo ex Zabarella latine facta retulimus, & quod hic sensum facit πάθος corporis animati, id est, commune animi & corporis.

III.

An auditus sit causa per se μαθήσεως & uberioris rerum cognitionis?

ORatio recte dicitur ab Aristotele αἴτιος μαθήσεως. Sed auditus causa per accidens. Quid ita? Auditus per se & primo percipit voces, quæ sono proferuntur. Oratio autem, qua de multis rebus erudimur, constat ex vocibus. Accidit igitur orationi, vt ab auditu etiam percipiatur, nempe propter voces. Auditus igitur est causa per accidens rerum cognitionis. Resipsæ proprie non audiuntur, sed intelliguntur, seu mēte apprehenduntur. Quod vel inde patet: quod homines, qui peregrina lingua ignota vtuntur, orationem audientes, nihil inde discūt: quia nimirum vocum potestatem & vim non intelligunt.

IV.

An visus sit naturæ igneæ?

NEgat hic Ariſtoteles viſum eſſe naturæ igneæ. Vult autem aquam in eo dominatum tenere, quod aqua facilius recipiat & retineat ſpecies. Intelligit autem per viſum, inſtrumentum viſionis, humorem cryſtallinum ſubiacentem pupillæ, ad talem hypoſtaſin & ſyſtaſin coagulatum, vt ſpecies viſiles recipere & continere poſſit. Sed opponitur hoc ſect. 31. probl. 29. ἡ μὲν ὄψις πυρός, *viſus eſt ignis*, Hæc igitur ita ad concordiam reduces. Prius dicit Philoſophus ex ſua ſententia. Poſterius ex aliorum magis opinione. Sed dicas forte I. *Cum torquetur, comprimitur, conſtringitur oculus, apparet ignis ſcintillans, ſeu igneus fulgor: Ergo ὄψις eſt ignea natura.* Reſpond. Eſt fallacia ſecundũ non cauſam vt cauſam. Oculus enim percuſſus vel diſtortus micat: quia in media ſui parte eſt leuis, non quia igneus. II. *Si oculus eſt aqueus, frigore obrigeſcet, hoc enim eſt humidi. Sed non hoc. Ergo nec illud.* Reſpondetur ad propoſitionem. Si humidum oculi eſſet aqueum, frigore obrigeſceret, niſi in exſanguibus oculi duro corio eſſent tecti, & in ſanguineis propter additam pinguedinẽ tardius ac minus frigoris incommoda ſentiret.

V

De natura coloris diſſertatio.

QUid ſit color, haud facile eſt definire. 2 Latet n. natura hæc, ſicut & aliæ re-

rum ſpecies in profundiſſima caligine inſcitiæ humanæ.

3 Et colores quam manifeſti ſunt viſui, tam contrauerſi & obſcuræ intellectui coloris cauſæ & eſſentia.

4 Quærendum tamen nobis eſt quod quam proxime ad verum accedit.

5 Conſideratio autem coloris duplex eſt, *Abſoluta & Relatiua.*

6 *Abſolute* ſeu *per ſe* conſideratur ſecundum ſuam naturam, ſiue videatur, ſiue non videatur.

7 Color enim ſua natura viſibilis eſt, etiamſi núquam videretur.

8 Non enim tollitur potentia *(viſibilitas)* per obiecti *(rei coloratæ & coloris)* ablationé *(id eſt, remotioné a viſu)* quia fluit ab internis principiis eſſentialibus.

9 Ita ergo corpus Domini etiam cum nõ videretur, erat & manebat per ſe & in ſe viſibile: quia coloratũ.

10 *Relate* vero conſideratur, quatenus eſt aſpectui ſubiectus, & facit corpus aſpectabile.

11 Poſteriore reſpectu definit eum Scaliger a poſteriori ſic, *Eſt qualitas in toto ſuo corpore ſubiecto, ſua ſpecie, qua a luce elicitur, pingens aerem ad viſionem faciendam.*

12 Dicit *in toto.* Nam etiam intus eſt color vt in medio corpore caſtaneæ vel pomi, alioqui non fieret per miſtionem (*qua ſit per totum*).

13 Sic ſtatuit Ariſtoteles, Colorem eſſe ἔξω ἢ ἐντὸς, *In lib. de ſenſu.*

14 Reſpectu vero priore definitur a priori ſic: *Eſt qualitas ex elementorum qualitate & luce conflata, quatenus lux eſt.* (Lux enim eſt actus quidam viſibilitatis.)

15 Si addatur: *Imitans ſeu afficiens viſum*, iterum erit conſideratio relata.

16 Plato in Timæo definit, *flammam a corporibus manantem*, id eſt, *ſpeciem a luce elicitam e materia in medium a ſuperficie terminatam.*

17 Sectatores Ariſtotelis conſiderantes colorem relate, definiunt præeunte philoſopho *extremitatem perſpicui in corpore terminato mouentem primo ipſum actu perſpicuum*, (id eſt, aerẽ vel aquam lumine illuſtratam) *deinde ipſum viſum animalis.*

18 Sed Scaliger *extremitatem & ſuperficiem* (ἔσχατον ἢ πέρας) improbat, quod intra corpora, vbi ſuperficies in potentia eſt, nihilominus color actu ſit, & actu quidem viſibilis (*ſcilicet primo ſeu* ἕξει, *id eſt, habitu*, licet actu non videatur) *ſcilicet ſecundo, quo reſpectu color dici poteſt viſibilis potentia.*

19 Color enim non eſt ſuperficies ipſa ſeu extremitas corporum, ſed quiddam in corporis extremitate: quod etiam Ariſtoteleũ eſt, ſeu eſt πάθος, *affectio, qualitas quædam corporum naturalium &c.* Extremitas vero ſeu ſuperficies eſt ſubiectum coloris.

20 Duplex hæc consideratio coloris non parum facit ad elucidationem quæstionis, *an color sit tantum in exteriore rei superficie, qua videtur?*

21 Color enim tantum est in exteriore vltima superficie corporis, quatenus est aptus ad visum mouendum & afficiendum. Nusquam enim cernitur color, nisi in corporũ extrema superficie.

22 At nec per se colore destituuntur interiora corporis, sed is color potentia tantum aspectabilis est, & actu fit aspectabilis, cum corpus secatur, vt noua fiat superficies exterior.

23 Hic diligenter notari velim, Aristotelem, cum dicit, *colorem esse extremitatem perspicui*, nõ velle, colorẽ esse simpliciter extremitatẽ seu superficiẽ (*absit hoc de tanto Philosopho cogitemus*) sed sentẽtiam verborũ eius hãc esse: *Color est extremitas seu terminus perspicui, id est, patibilis qualitas terminãs perspicuum seu pellucidum.*

24 Cum enim dixisset: *Lumen actũ perspicui interminati, quod perspicuum interminatũ lumen transmittat:* dixit, colorem in superficie terminari.

25 Perspicuum autem est, *quod aptum est ad recipiendum lumen, quod non habet.*

26 Perspicuum ἀόριστον, id est, *interminatum* est, quod tota sua substantia, non tantũ secundum superficiem exteriorem, sed etiã

inter

inter se & penitissime recipit & transmittit lumen, nullo obstante termino, vt impedimento, quod luminis transitum arceat: vt sunt *aer, aqua limpida, gemma quadã, vitrũ, humor cryſtallinus.*

27 *Terminatum* contra: vt *ſpeculum, chalybs lauigatus, argentum politum.*

28 Perſpicuum actu eſt, *quod reipſa lumine eſt illuſtratum, vt aer interdiu.*

29 Color ergo eſt ibi, vbi perſpicuum deſinit eſſe perſpicuum, & viſum quaſi fugit & ſiſtit, ſpecie per perſpicuum medium, vt aerem, ad oculos tranſmiſſa.

30 *Exempli cauſa:* Cum hæc legis, διαφανὲς ſeu perſpicuum inter paginam libri ac literas & oculũ eſt aer, cuius perſpicuitas ſiſtitur & finitur in eadem pagina, quæ eſt corpus opacum, viſui non peruium.

31 Illa igitur qualitas, qua διαφανὲς terminatur, dicitur *Color (nigror literarum, albedo paginæ)* quo viſus excitatur & afficitur.

32 Huc pertinet, quod Scaliger dicit, Exerc. 80. ſect. 8. *Aer vbicunq; alia ſuperficie terminatur, illico ſpecies præſto eſt.*

33 In ſenſu igitur cauſali verba Ariſtotelis accipiẽda ſunt, vt *virtus eſt hominis perfectio*, id eſt, qualitas ſeu habitus, hominem perficiens.

34 Sed hic dubium oritur: *an ſubiectum coloris ſit actu perſpicuum, an vero corpus viſile.*

35 *Reſpond.* Coloris ſubiectum per ſe eſt ſuperficies corporis aſpectabilis. Sed primum ſubiectum virtutis coloris, id eſt, coloris, quatenus ad viſum refertur, quæ eſt, *mouere poſſe*, eſt actu perſpicuum. Primum enim, vt fiat viſio, color mouet actu perſpicuum, vt aerem illuſtratũm, ſpargẽs in eum ſpiritualẽ quãdã vim, ſeu diffundẽs in eo viſibilẽ ſpeciẽ. Hæc cõtinuata ad viſum vſq; ex diametro oppoſitũ ſeu aduerſum, & ad corpus aſpectabile cõuerſum, hũc *(viſum)* afficit & mouet, vna ſinẽ rei obiectæ ipſi imprimẽs & cõmunicãs, & ita viſio fit in oculo *id eſt*, anima videndo ſentit obiectũ corpus.

36 Coloris quidem, qua aſpectabilis eſt, natura propria eſt, vt moueat viſum. Sed viſum mouere nequit, niſi moueat perſpicuum medium. Prima igitur ἐνέργεια coloris eſt, vt actu διαφανὴς moueat. Nam pellucidum per ſe ſolum conſideratum, nõ habet vim mouendi viſum abſque colore.

V I.

De natura luminis Diſſertatio ad intelligendum Ariſtotelem comparata.

1 Et ſubtiles & iucundæ ſunt diſputationes de lumine munere Dei principe. Ac profecto haud ſcio, an rerum cœleſtium vlla ſit excellentior ipſa luce, *ait Iul. Scaliger.*

2 Eius igitur diſputationem euoluam.

3 Φῶς Græcis & lucem & lumẽ ſignificat.

Lux

4 Lux autem *qualitas est corporis lucidi, vt solis, ignis, cicindelæ.*

5 Lumen vero est id, *quod a solis fluit corpore.* Est diuini illius accidentis (*lucis*) siue species & repræsentatio, siue effectũ, quod in aere ita videtur, vt alibi terminetur & faciat visilem superficiem, per colorem. Est ἕξις τοῦ διαφανοῦς, est ἐντελέχεια τοῦ διαφανοῦς, forma seu actus perspicui, seu trãslucidi, quatenus translucidum est.

6 Non enim διαφανὲς actu, nisi per lumen φαίνεται (appatet.) Et perspicuum actu fit, cum illuminatur aliunde. Ex se enim lumen, cuius capax est, non habet.

7 Etsi autem lumen colorem proprie reddat visibilem, nec idem cum hoc sit: tamen a Philosopho dicitur etiam lumen *color diaphani*, propter cognationẽ & coniunctionem arctissimam. Nam absque lumine nullus color cernitur. Hinc fit, vt vna cum colore etiam cernatur lumen: sicut per accidẽs terminatur etiam lumen colore. Et color non raro accipitur generaliter pro omni re aspectabili: sicut φῶς Zabarellæ sub colore, vt species sub genere cõprehenditur.

8 Cæteroquin lumẽ & color differũt. Color est eius *reale & materiale.* Lumẽ est eius *intẽtionale*, (*liceat mihi vti hac voce pace latinitatis*) id est, species lucis repræsentatrix, quæ spiritualis est seu imaterialis A luce'n. fit lumẽ, vt a re imago. *Scalig. exerc.* 75. *sect.* 7.

9 Porro lumē non eſt forma ſeu actus coloris. Actu enim color eſt nigredo etiam ſine lumine. *Vacca non minus nigra eſt noctu abſente lumine, quàm interdiu præſente lumine. Sed potentia viſilis eſt, non actu, id eſt, nigredo vaccæ non habet efficacitatem ad afficiendum medium & oculū in tenebris, nec diffundit de ſe speciē viſilem medio nō illuminato.*

10 Si *vt res Syllogiſmo comprehendatur* forma eſſentialis coloris eſſet lumen, adueniēte lumine generaretur color, abſente lumine color nullus eſſet, color eſſet color, quatenus viſibilis, & viſibilitas eſſet coloris eſſentia, nō autem affectio eſſentiam conſequens. Sed falſum conſequens, Falſum igitur etiam antecedens.

11 At obiicis hoc Scaligeri exerc. 80. ſect. 7. *Eſt ergo coloris actus lux & quaſi forma quædam &c.* Et illud diuini Poetæ,

Rebus nox abſtulit atra colorem.

Ergo color nō eſt color ſine παρουσίᾳ ſeu præſentia luminis: & vbi color nullus videtur, ibi item nullus eſt color.

12 Reſpond. *Primo.* Scaliger obiecto loco dicit tantum, Iridem eſſe coloris actum lucem & quaſi formam. Sed quia hinc colligi poteſt aliquam lucem eſſe actum coloris, *ſecundo* contendo lumen eſſe actum coloris, non quidem vt color ſit, (*color n. qua color eſt, etiā intra ſoliditatem corporis non in ſola ſuperficie, abſente quoq; lumine*) ſed vt videatur

deatur, id est, qua visiblis est seu videri potest actu. Hoc est, *lumē est actus visibilitatis, qui etiam in nigro esse potest*. Seu, *est actus coloris ad vidēdum*. Lumine colores fiunt actu conspicui, qui absque eo delitescerent.

13 Loquimur autem de lumine externo seu extraneo, non de luce interna, quæ cum ipsis elementis est in compositione colorū seu ex qua essentia coloris constituitur.

14 Huc pertinet illud Scaligeri Exerc. 288. sect. 16. *Lux, id est, lumen est ratio videndi quia defert species ad oculum.*

15 Atque hæc hactenus præcipue de quæstione, sitne lumen forma perspicui an coloris.

VII.

Conciliatio dictorum: Color est πέρας, *id est extremum: & Color est aliquid* ἐν πέρατι, *in extremo.*

Aristoteles sentit, *colorem, qui afficit aspectum, esse in extremitate corporis, non ipsam extremitatem.* Sed idem etiam, *colorem esse dicit extremitatem pellucidi in corpore terminato.* Hæc ita facies sibi σύμφωνα. Color est in corporis colorati extremitate, *id est*, superficie, vt in subiecto adiunctum. Sed color est extremitas seu terminus corporis pellucidi, *hoc est*, est id, quod terminat pellucidum seu perspicuum visibile. Dicitur autem *perspicuum terminatum*

cum perſpicuitas ſeu tranſparentia habet terminum, in quo ſiſtitur,& finitur, ita vt non tranſmittat viſum. Tale eſt chalybs etiã læuigatus. Etſi enim habet politam ſuperficiem, eſt tamen opacum & obſcurum corpus, nec intra ſe διϊκνὸν eſt luminis. Tantum perfunditur lumine & perſpicuum eſt κατά τι ſcilicet ſecundum exteriorem ſuperficiem ſuam, vbi lumen & viſus terminantur. Si igitur ita aliquis obiiciat: *Extremitas eſt quantitas. Color nõ eſt quantitas, ſed qualitas: Ergo color nõ eſt extremitas*, Reſponde: *Color non eſt extremitas, extremitate ſumta pro ſuperficie.* Hæc enim ſubiectum eſt coloris, in quo inhæret. *Eſt vero extremitas extremitate ſumta pro qualitate terminãte perſpicuum vt coloris genere.* Hoc extremũ ſeu finis eſt qualitas tertii generis (*patibilis.*)

VIII.

Conciliatio horum, Omne corpus eſt terminatum &, quoddam corpus eſt interminatum.

SI color eſt extremitas pſpicui, ſeu τοῦ διαφανοῦς in corpore terminato: ſequitur quædã corpora eſſe interminata. At Phyſico omne corpus habet terminum, ſeu eſt finitũ. *Reſp.* Sane omne corpus terminatum eſt ſecundum ſubſtantiam & dimenſiones eius: Sed quædam corpora ſunt ἀόριστα id eſt, interminata, quod attinet ad perſpicuitatem eorum

eorum, vel δυνάμιν illam, qua illuſtrationis capacia ſunt, etiã in ꝓfundiſſimis partibus. Qualia ſunt, *calũ, aer, aqua.* Quibus opaca opponuntur. Cæteroquin & perſpicui in corpore interminato extremitas eſt, quæ eſt lumen.

IX.

Omniane aluntur dulci, vel ſimpliciter, vel alio admiſto, vt ait Ariſtoteles?

Generaliter dicta ſæpe eſſe reſtringenda, monet hic quoq; locus Ariſt. πάντα τρέφεται τῷ γλυκεῖ ἢ ἁπλῶς ἢ μεμιγμένως: *Omnia alũtur dulci ſolo vel condito alio ſapore*, ſcilicet, quæ dulcedinis ſenſum ſeu guſtum habent: vt *animalia*. Horum enim ſenſus eſt. Stirpes poſſunt nutriri dulcibus, amaris, auſteris, acerbis, ſalſis: ἐυλόγως dulces dulcibus, ſalſæ ſalſis, &c. Similia n. nutriri ſimilib. cõſentaneum eſt. Ac ſtirpium nutritio non perficitur ratione dulcis, vt defectus nutritionis ſtirpium non fit ratione amari: Nullo enim ſenſu præditæ ſunt. *Ergo nec guſtu.* Sed ratione primarum qualitatum elementarium aluntur.

X

Conciliatio Ariſtotelis & Galeni, quorum ille extremos odores facit dulce & amarum: Hic vero acerbum & acrem.

GAlenus contraria facit acerbum & acre, & interiicit inter hæc dulce. Aristoteles vero dulce & amarum. Ratio & modus considerandi diuersus tollit hic ἀντίφασιν. Galenus, cum medica ars sit practica, considerauit naturam differentiasque saporum, quatenus indicant temperamenta & potestates rerum sapidarum ad vsum ἰατρικὸν humano corpori adhibendarum, & in distinctione saporum respexit causas efficientes eorum, caliditatem & frigiditatem, quæ diuerso modo afficiunt, vincunt & miscent humidum passum a sicco. Extremos igitur facit acerbum & acrem sapores, quod acer fiat a summo calore, sicco terreo exquisitissime attenuato: Acerbus vero a frigiditatis ὑπεροχῇ, id est, exsuperantia, sicco terreo minimum a calore excocto. In medio collocat dulcem, quod fiat a calore temperatissimo, optimeque miscente humidum cum sicco. Aristoteles vero, quod diuinare licet, respexit & gustatus sensum & τρόφιμον causamque nutritionis, & diuersum πάθος humidi factum a sicco, cum extremum extremo, dulce amaro opponit ἐναντίως. Dulce enim gustatui gratissimum, amarum contra maxime ingratum accidit atque molestum. Dulce maxime θρεπτικόν est, *id est*, nutriens. Amarũ cõtra. In dulci deniq; humidũ maxime cõprehẽdit ac superat siccũ. In amaro maxime separatum est a sicco humidũ, resolutũ videlicet per vehemẽtem calorem.

An recte dixerit Aristoteles amarum esse priuationem dulcis.

ARistoteles amarum, quæ qualitas positiua est, fecit speciem seu differentiã saporis. Et recte illud quidem. Quomodo igitur potest illud dulci priuatiue opponere ? An non amarus sapor est affirmatum seu aliquid positiuum : Sane, vt nigredo, nisi esset aliquid positiuum, non esset color : sic amarum, nisi esset tale, non esset sapor. Respond. Aristoteles, cum στερητικῶς opponit amarũ dulci, nõ simpliciter, sed κατά τι loquitur, respectu habito ad τρόφιμον & ἀτροφίαν, quod omne nutriens aut dulce sit, aut dulcedinis particeps: quod vero ineptissimum ad nutriendum est sit amarum. Sic nigror non est simpliciter priuatio albi, vt tenebræ lucis. Et tamen Aristoteles nigrorẽ dicit esse priuationẽ albedinis, ꝗ ꝓportione quadã tenebris respondeat: qa in nigro colore minimum est lucis & nihil candidi.

XII.

Conciliatio duorum dictorum Aristotelis. *Humidũ saporosum seu succulẽtum efficit in genere odorũ, quod in genere saporum efficit siccũ.* Et, *Humidũ id patitur saporoso sicco.*

ARistoteles ait, humidũ in aere & aqua particeps fieri posse saporosi sicci,

& ab eo aliquid pati, id est, affici & imbui qualitate odoris, quæ primo & proprie inest ſaporoſo ſicco: vt cũ grana iuniperi imponuntur prunis, reſoluitur inde ἀναθυμίασις ſeu fumus odoriferus, qui aeri miſcetur vna cum odore. Sed ante dixit, *Humidum ſapore præditum in odoribus efficit ſiccum.* Quæ hæc ſententiæ variatio eſt? Vtrobique de modo communicationis ſeu participationis odorum intelligẽdus eſt, hoc eſt, de modo, quo odor rebus odoratis inhærens, communicetur etiam aeri vel aquæ, tanquam mediis, vt actu mouere ſensũ poſſit. De hoc modo loquitur indifferenter: vel quod humiditas aquæ & aeris abluat corripiatque ſapidã ſiccitatem: vel quod ſapida ſiccitas ſe inſinuet in illorum humiditatem, quam odore imbuit ſeu inficit. Sic ſapores aquæ communicantur, vel quod aqua per ſiccum tranſmittatur, ſeu perfluat arripiendo ſecum ſaporoſam qualitatem, vel quod ſiccum humori iniiciatur aut permiſceatur quocũque modo, & ſecum afferat ſaporem.

XIII.

Conciliatio horũ: eſſe ἴδιον hominis ex odoribus bonis voluptatẽ capere: quod dicit hic Ariſtoteles. Et tamen, quod idem ſcribit infra, alia etiam animalia offendi odoribus, qui vim interimẽdi habeãt: Et 13. ſect. probl. 4. odore pãtherarũ mire ſollici-

tari

tari quadrupedes cunctas, sed capitis tortuitate arceri: quamobrē occultato eo reliquas dulcedine inuitatas ab ipsis corripi.

HOmines odores per se delectant, & ab eo etiam non relati ad nutrimentum expetuntur. Bruta vero ex odoribus capiūt voluptatem per accidens, nempe propter nutrimentum, quod per se expetunt, vt apes thymi odore delectantur, quia odor iste ostendit idoneam ad nutritionem & mellificiū materiam. Muriū odor felibus famelicis est gratissimus per accidens, id est, non quia odor est, sed quia inest iucundissimo ipsis alimento. Hunc vsum odoris accessorium & accidentarium homo communem habet cum brutis. Sic Apicius male olentes cibos respuit. Sic homo ebriosus vini odore delectatur, non quia odor est, sed quia potum gustatu suauem præsentem esse significat. Sed tamen, etiam quædam bruta voluptatem vel molestiam per se ex certis odoribus percipiunt: vt serpentes fugantur nidore vsti cornu, flos recentis pulegii incensus necat pulices odore. Excipiendæ igitur sunt in quibusdam animalibus certæ sympathiæ & antipathiæ, & intelligendum hominum generi præcipue hunc odorum vsum concessum esse. In hāc fere sentētiam sequentes theses Marpurgi, cū plegerē publice Physicam, disputatę sunt, quas adscribere libet

XIIII. Disputatio de Quæstione: An odor, qua delectat vel offendit sit hominis proprius?

1 Pulcra quæstio est quā ad disputationē selegimus: *An gaudeat odore alia præter hominem animantia: An proprium hominis sit voluptatem ex odoribus capere?*

2 Nullum animal, præter hominem, ex odore capere delectationem, est Aristotelis sententia, ait Scaliger.

3 Is eidem subscribit, cum, *plane*, inquit, *vnius omnia inter animalia hominis oblectamētum odor est. Exerc.* 104 *sect.*4.

4 Quo quidem respectu tantum verum esse statuo quod ibidem dicit: *Pene solius humani sensus obiectum esse odorem.*

5 Cæteroquin, certum est multa animantia bruta sensum olfactus habere satis acrē, & in homine esse eum imbecilliorem.

6 Sed vniuersalem illam labefactant. 1. Quod Pantheræ odore quadrupedes bestias oblectari, eumque propterea sequi a Philosophis proditum est ἱστορίας φυσικῆς scriptoribus 2. Quod apes thymi, feles murium, muscæ mellis odore delectātur. 3. Quod malis odoribus quædam animalia ἄλογα fugantur: sulphure muscæ, galbano accenso culices, vngulæ mulinæ adustæ nidore mures. Et Cardanus scribit, *cumices, culices, formicas fumo cōbustorum suo cuiusq; generis abigi.* Narratur & culices seta equina āte cubiculum suspensa arceri.

7 Si igitur quædam animantia odoris delitiis capiuntur,& fœtorem auersantur, quid Aristoteli respondendum est?

8 Scaliger respondet, Aristotelis mentẽ esse: *In homine oblectamenta voluptatesq; potissimum esse*, id est, Aristotelem non simpliciter negare, quin alia animantia præter hominem delectationem percipiant ex odoribus, sed velle ab homine potissimum eam sentiri.

9 At Aristotelis hanc fuisse mentem, in dubium vocari non debet: cum dicat, *illam delectationem bestiis contingere per accidens*, hoc est, non delectari eas odore, qua odor est, sed qua est index delectabilis nutrimenti: vt intelligas, propter expetitum alimentũ bruta gaudere perceptione eius odoris, qui præsens illud esse indicat. Sic sus gaudet cœni & lutosæ aquæ odore, quia ex eo quærit victum: sicut apes eligunt (vt ita dicam) flores, quorum rorem captent, vnde victitent, & in eo vt suaui balneo solent volutari.

10 Hanc causam non esse nullam, hinc apparet, quod non multum curæ est bestiis de bene olentibus, cum sunt satiatæ, fame vero enectæ accurrunt eo vbi talia sentiunt.

11 Huc accedit, quod brutis natura non dedit sensum odoris ad corroborationem & recreationem spirituum animalium in cerebro, vt homini, *quod & Aristoteles lib.*

de sensu & sensilibus docet cap. 5.) qui ea indiget propter defatigationem & absumtionem illorum, ex multiplici labore & intentione sensuum ac cogitationum.

12 Si igitur contingat, vt vnguentum amaricinum sus olfaciat, nõ delectabitur eo: quia nec ad desiderium cibi facit quicquam nec destinatũ est ad nutritionem suis. Vnde exstitit parœmia, *Quid sui cum amaricino?*

13 Quod si fugiat sus aliquem odorem, fugit eum propter incommoditatem τροφῆς seu pastus, ideoque per accidens, quia odor ille arguit & ostendit ei simul alimenti malitiam, vel citra noxam aut interitum.

14 Sicut *(generatim)* si brutum fugit odorem tetrum, ingratum, fugit nõ vt odorem, sed vt indicem rei noxiæ.

15 Sic cõtra p accidẽs bibulæ anui apud Plautum in Curculi. delectabilis est odor vini: Quia odor hic significat illi præsentem esse potum gustatui gratissimum, quem quidem *(potum)* expetit per se. Multibibæ verba sunt.

Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amor cupidam huc me per tenebras prolicit.
Salue anime mi,
Nam omnium odor vnguentûm præ tuo nausea est.
Sed quem adhuc naso odos meo
Es obsecutus, da vicissim gutturi

Meo

Meo gaudium. Nihil ago tecum. Vbi est ipsus

Ipsum expeto tangere.

16 Ad extremum, sunt etiam interdum quædam antipathiæ, vel sympathiæ naturales, ac proprietates singulares occultæ, ex ἰδιοκρασίᾳ ortæ, quibus ad odores certos animantia quædam affecta sunt, ad eosque vel propēdent, vel ab iisdem sunt auersa, & abhorrentia.

17 Sicut homo aliquando offensionem & fastidium habet naturale ad hoc vel illud. Exemplo est, amicus meus quondam optimus, Ioannes Heugelius, Chori Musici in aula Illustrissimi & excelsissimi Principis Guilielmi Lādgrauii Hassiæ &c. laudatiss. memoriæ, magister & Musicus theoricus simul ac practicus excellentissim. qui nidorē vel nōdum præsentis anseris assati e conuiuiis fugabatur.

18 Sed cum vsum odorum, quos animalia bruta percipiunt, non necesse sit coniunctū esse cum voluptate, concludimus solum hominem per se semper, cum ex bene olētib. voluptate, tum ex putentibus & teterrimum odorem spirantibus molestia affici.

XV.

Quaritur conciliatio horum verborum Aristotelis: Idem & non idem primus & posterior exaudit & odoratur. Vbi explicatur

distinctione ἀπορίᾳ, An plures simul exaudiant vnum sonum?

MVlti simul audiunt concionem, quorũ alii propiores sunt concionanti, alii ab eo remotiores. Idem autem est sonus, quem percipit propior, etsi certius percipiat, & quem audit remotior, etsi incertius. Sic vnus odor a re fragrante est in naribus Pamphili & Glycerii non plures. Sed sententiæ huic refragari videtur pnũtiatum: *Vnũ accidens non est in diuersis subiectis.* Odor & sonus sunt accidentia: sunt enim tertii generis, id est, παθητικαὶ qualitates. Ergo ex vno obiecto odorabili qui exsistit odor, non est idem in naribus Pamphili & Glycerii, nec idem sonus in aliorum atque aliorum auribus. Hic respondendum e topicis Aristotelis distinctione *eiusdem.* Vnum scilicet NVMERO accidens non est in duobus subiectis. Sed vnum scilicet specie potest esse etiam in pluribus. Sic specie idem odor est in naribus duorum hominum, at non idem numero. Sic quod multi simul audiunt, est idem τῷ εἴδει nõ ἀριθμῷ. Quisque enim sentientium speciem habet sensilẽ in suo sensu, ac soni odorisque species per motum & immutationem ac propagationem aeris diffunduntur & multiplicatur. Sic caliditas, quæ inest igni per se, & aquæ per accidens, non potest dici vna & eadem numero, sed specie: quia ab igne generatur similis cali-

ditas in aqua. Ignis ſuæ caliditatis ſubiectũ eſt. Aqua itẽ ſuæ, ſibique ab igne impreſſæ. Verum obiicias forte ſolem. *Is vnus numero a mille videtur. Ergo & vnus numero odor vel ſonus a mille percipietur.* Hic vero reſpondetur. Sol vnus numero eſt, qui viſum plurimorum intuentium primo afficit mouetq; vt obiectum materiale: Itaque omnes intuentes eundem numero ſolem vident. Sed in ſingulorum oculis eſt etiam vnũ ſenſile, quoad εἶδος, id eſt, ſpeciem, non vnum vero ſeu idẽ numero. Vnius enim ὁρατοῦ, id eſt, rei viſibilis innumerabiles ſpecies ſphærice in omnem partem radiant, quod docent Optici. Et vnum, vt dixi, ad numerum, accidens non poteſt recipi diuerſis ſubiectis: quod Scholis Philoſophorum tritiſſimum eſt.

XVI.

An odor ſit corpus non qualitas.

MVlti contra Ariſtotelem ſtatuũt: Odores eſſe corporeos defluxus, non qualitates: propterea, quod putent ipſum halitum, qui egreditur e re odorata, eſſe odorẽ cum tamen ille halitus ſit velut ὄχημα, id eſt, vehiculum & ſubiectum odoris. Sed audiamus quædam antiperipateticorum argumenta. *Quod replet ſenſorium eſt corpus. Odor replet ſenſorium. Ergo odor eſt corpus nempe ſpirituoſa exhalatio. 2. Omnes cauſæ quæ calefaciunt. ſunt* σωματικαὶ *Odores calefaciunt ce-*

rebrum. Ergo colores sunt aliquid σωματικὸν. 3. *Nihil nutrit nisi corpus. Odores nutriunt spiritus. Ergo sunt corpora.* Assumtio probatur *Si chamæleon solo viuit aere inspirato, vt Salamandra solo igne, quid obstat, quominus homo nutriri possit odoribus?* 1. Respond. ad primæ obiectionis assumtionem. *Odor replet per accidēs. Aut enim exhalatio, cum qua iunctus est odor replet, aut qualitas odoris, afficiendo cerebrum humidum, liquat humiditates in eo cōtentas, vnde repletio per se & proxime sequitur.* 2. Secundæ obiectionis nego assumtionem. *Nam aqua frigefacit frigore suo naturali, ignis calefacit sua caliditate: & tamen neq; frigiditas neq; caliditas est corpus sed vtraq; est qualitas.* 3. Tertiæ obiectionis similiter assumtionem, si proprie loqui velis, negandā esse statuo. Etsi enim recreēt corroborentque spiritus, hoc tamen non est proprie nutrire. Omnia n. nutrita colligūt excrementa quæ ex odorib. nulla colligi possunt. *Ad assumtionis probationem sic respondeo*, Nullū omnino animal solo victitare aere, quod nutriatur tantum mixtis & compositis, quibus cōstat. Sed quod chamæleonti aer pro cibo sit aliquandiu *(quod scribit Plinius)* ex eo patet, ait Scaliger, quod & annum integrum aiunt inediam tolerare, & vbi excepit hiatu auram, & occlusit malas turget ei venter. Etiam inueni qui diceret,

obuersum ad Solem haurire radios, eosque conuersione hiantem sequi. Resp. Fides huius historiæ sit penes narrantes. Qui peregrinati sunt in oriente, narrāt chamæleontem lingua captatas muscas deuorare. Hæc narratio, si vera est, ex solo aere spiritum nō ducet chamæleon. Quod ad Salamandras attinet, scribunt quidem veteres, ita viuere in igne, vt ab iis exstinguantur ignes in caminis. Sed quidam e recentioribus, qui viserunt plagam orientalem, referunt Salamandram tandem absumi igne, etsi non ita cito quam alia animalcula. Ad extremū, est prorsus diuersa natura Chamęleontis, & hominis. Quomodo igitur sequitur, Chamæleon potest viuere ex aere. Ergo homo ex odoribus

XVII.

An medium tactus sit caro in animalibus carne preditis, aut aliquid simile carni in aliis, quæ carnem non habent?

Cum omnes sensus exteriores vtantur aliquo medio, tanquam causa, vt loquuntur sine qua non, quæ rectius dicitur conditio sine qua non, quæritur quale & quodnam sit medium tactus? Externum esse nullum docet doctrina Peripatetica, sed internum & congenitum ac copulatum cum instrumento ipso tantum, hoc est, partem quandam animalis, quæ ab animali se-

parata non est,(*alioqui enim pars non esset, vt caput ense reuulsum a ceruice, non est pars animalis, & non est caput amplius, nisi aequiuoce.*) Obiiciat aliquis, *interno medio addedum esse externum ab animali separatũ, verbi gratia aerem, aquam, vestem, vel quancunq; aliam rem intermediam.* Respondendum est per inficiationem, quia *qualitas tactilis per hac media, sine physico organi & tactilis contactu, non percipitur, sed oportet obiectum tactile cuti applicari: & licet aer & aqua in quibusdam medium esse videatur, non tamẽ per se sunt sed per accidẽs, quatenus cum obiecto sunt cõiuncta.* Porro medium id est, vel Remotum vel Propinquum. *Remotum* est caro aut quiddam simile carni (*vt mixtum quiddam ex pluribus elementis*) quando instrumentum tactus est tectum. *Propinquum* est subiecto idem cum instrumento tactus: ratione vero & definitione diuersum in iis quæ tectum instrumentum non habent. Controueniat aliquis, *carnem esse instrumentum tactus. Et Aristotelem carnem medium esse tactus probare.* 1. *Caro in tactu & lingua in gustu sese habet, sicut aer & aqua in visu: sed aer & aqua sunt medium, non instrumẽtum illorum sensuum. Ergo etiã caro est medium nõ instrumẽtum tactus.* 2. *Sensile impositum instrumẽto non sentitur: tractabilia imposita carni sentiuntur, vt maxime perspicitur in aere & aqua, quæ plane immediate tangunt car-*

carnem. Ergo caro non est instrumentum, sed medium tactus. Verum obiicitur contra Aristotelem, quod nerui absque carne etiam sentiant: *(id quod in neruis dentium animaduertere licet)* ideoque caro non sit medium tactus. Respōdendum est, *Aristotelem loqui, & intelligendū esse in lib. de anima, de illis partibus, in quibus est caro, quæ per carnem tāquā medium sentiunt, tactuque rem percipiunt, id est, caro Aristoteli medium est tactus in iis partibus, quæ carne prædita sunt. In reliquis autē partibus medium ab instrumento non differt subiecto; sed tantum ratione & definitione.* Obiiciunt porro, in lib. de hist. & partib. animalium, Aristotelem docere cōtrarium, *Carnem videlicet esse instrumentum tactus* Respondendum est, *id non esse accipiendum de carne per se, sed per accidens, quatenus est neruis prædita Sic dens tanquam os, non sentit sed tanquam os, cui neruus est insertus.*

XVIII

An nerui, ad quos qualitas tactilis defertur, sint instrumentum tactus?

INstrumentum tactus cum Galeno recte facimus neruos. Neruis enim sentire nos in iis partibus in quibus nulla est caro, veluti dentibus & ventriculo, est manifestū. Contra hanc sentētiam multa possunt obiici. I. *Instrumentū admotum sensili non sentit. At nerui imposito obiecto sentiunt.* Ergo *nerui*

non sunt instrumentum sensus siue tactus. Accedit authoritas Aristotelis qui lib. 1. de anima cap. 1. negat, *sensum esse in neruis*. Respondeo p distinctionẽ. *Considerantur nerui vel secundum suam materiam, vel secundum formam.* Si ratione materiæ perpenduntur, non sentiunt, cum ad terram proxime accedant: & sic tactus instrumentum esse nequeunt. Ratione vero formæ, quatenus temperato naturali calore & spiritibus referti sunt, sentiunt. Et hoc modo sunt instrumentum tactus. Quæ etiam causa est, cur medium & instrumentum tactus materia & subiecto idẽ esse possint. Nam nerui secundum suam materiam & subiectũ sunt medium tactus: secundum formã & δύναμιν qua omnes qualitates, quæ eodẽ gradu præditæ nõ sunt recipere possunt, instrumẽtũ sunt tactus. Quare nerui verum tactus instrumentum esse dicũtur qui mediam habent naturam & vtrunq; qualitatis extremum recipere possunt. II. *Præterea*, Aristoteles lib. 1. de historia animaliũ cap. 4. affirmat, *tactũ consistere in parte corporis similari vt in carne aut aliquo eiusdẽ generis*. lib. 2. de partib. animaliũ cap. 1. docet, *carnẽ aut quod carni proportione respondet in quauis qualitate sentienda positum esse*. Si ergo caro, & quod carni proportione respondet, vim sentiendi obtinet, sequitur, *carnem esse tactus instrumentum*. Respondeo ad hos locos Aristotelis, quibus carnem ta-

ctus instrumentum facere videtur, eum ibi exoterice, id est, vulgi more loqui, & carnẽ appellare non tantum musculos, sed quicquid carni adhæret, & sic caro est instrumẽtũ tactus, nõ primo, sed propter adiunctos neruos. Quamobrem idem Aristoteles tactus instrumentum interius situ esse dicit *lib. 2. cap. vltimo de anima.* Sane si caro esset instrumentum tactus, maxime propterea esse videretur, quod statim re tractabili ad carnẽ admota eã sentimus. Sed propter hanc causam caro non est instrumẽtum tactus. Ergo caro plane non est instrumẽtum tactus. Assumtionẽ confirmo. Nam si digito imponamus tenuẽ aliquam pelliculã, vel linteum statim admoto digito illa pellicula sentimus seu tangimus. Attamen talis pellicula non est instrumentum, sed medium tactus. Ergo nec caro est instrumẽtum, propterea quod re tractabili ad eam admota statim sentimus. Idẽ iudica de linteo. Huic rationi opponi posset, *diuersam esse rationem carnis & pelliculæ vel lintei, quod per carnem statim sentiamus: per pelliculam vero vel linteũ tardius.* Respondet Aristoteles *hoc non fieri proptera quod caro sit instrumentum, sed quod magis propinqua & agnata sit instrumento tactus quum pellicula, vel linteum, ideoque citius nos sentire per carnẽ vt partem corporis, quã per aliquid exterius.* III. Galenus denique lib. 1. de temperamentis cap. 9. *Cutem facit*

tactus instrumentum. Respondendum est. *Cutis non potest per se & primarie organũ esse tactus.* Nam si esset, sequeretur vbi nulla est cutis, ibi nullum esse tactum: quod experientię repugnat: Cutis ergo non est primo & per se, sed secundario, & propter aliud tactus instrumẽtum, quia scilicet neruis est plena, & vbi plures sunt nerui in cute, ibi acutior est tactus, vt in vola manuum & extremis digitis. Ac cum Galenus *in lib. de oculis particula* 2. *cap.* 1. neruos tactus organa faciat, secundum illud hoc interpretãdum est, quod cutem tactus organum facit alibi: quoniam sc. arteriis & neruis, in quibus omnes qualitates insunt referta est cutis

FINIS.